Hilarius a, dicens quod nox illuminatio fuit Chriſto in deliciis b; hoc eſt, paſſio deliciæ, dum portas æreas confregit, dum vectes ferreos contrivit, dum omnem poteſtatem deſpoliavit, dum de his in ſe triumphavit, dum eum, quem ad imaginem ſuam fecerat, redemit, dum deliciis paradiſi reſtituit. Quamquam Hilarius intelligi poſſet non tam de dicto deſcenſu, quam de ſuperatis difficultatibus, quæ obſtabant converſioni hominum, ita ut *portæ inferi prævalere non potuerint* c, ideſt, principes inferorum cacodæmones, juxtà vulgarem illam formulam, qua pro portis, in quibus olim cauſſæ agitabantur, intelliguntur hi qui præſunt: Idem judicium de hominibus perſecutoribus. Sectantur eumdem ſenſum Tertullianus d, Cyprianus e Lactantius f, Aug. g Eſaiæ h præſertim locum explanantes, legenteſque cum LXX. *hæc dicit Dominus Chriſto meo Domino*, quod Latinè legimus, *Cyro*, quaſi pro κύρῳ poſuerint κυρίῳ de qua varietate lectionis conſule Leonem à Caſtro i. Tertullianus alium adhuc ſenſum affert, quem ſpiritualem vocat, ſi nempe comparetur cum jam dicto de ſeris ferreis comminutis, & valvis ferreis apertis, omnium civitatum portis apertis, & nullis Chriſto clauſis, quod præcordia ſingulorum variis modis à diabolo obſeſſa, fide Chriſti ſunt reſerata. Quartum ſenſum tradit Origenes k, Dei, & Chriſti adjutorio portas æreas, quibus clauſi ſunt myſtici ſenſus intra ſcripturas aperiri, atque confringi, & ſeras ferreas, vecteſque comminui. Quo ſpectat quod Chriſtus *aperuiſſe* dicitur diſcipulis *ſenſum ut intelligerent ſcripturas* l, & *habere clavem* m *David* (aliàs *inferni*) quæ vocari ſolet etiam *ſcientia* n, & *ſolvere ſignacula libri* o, ita ut *habere clavem David*, ſit habere omnium Prophetarum, quia primus poſt legem, inquit Rupertus p, propheticam ſcripturam edidit, tantaque ſunt in ejus factis, & dictis ſacramenta, ut cuicumque hæc reſerata fuerint à ceterorum ſenſibus Prophetarum excluſus eſſe non poſſit. Nunc etiam *ſpiritus ſcrutatur etiam profunda Dei* q. Si non novus, & quintus ſenſus, certe appendix aliorum priorum poteſt eſſe; ut impedimenta tentationum, tribulationum, occaſionum removere cuivis particulari ne peccet, vel impediatur ab obſervatione divinorum præceptorum, ſit *portas æreas conterere, confringere ferreos vectes*: ita ut in Deo, & Chriſto liceat *tranſgredi murum* r. Iram, concupiſcentiam, ſimiles perturbationes ducentes ad interitum, Haimo interpretatur, & quibus vix valemus dominari: *vectes ferreos*, diaboli ſuggeſtiones. Nazianz. ſ accommodatitiè ſaltem idem uſurpat de remotione difficultatum incidentium. Innuit ſextum Lactantius de plena, perfectaque poteſtate, quam tandem Chriſtus in judicio conſequatur. Septimo ipſamet peccata, is quem putant eſſe Chryſoſt. interpretatur, propter quæ uſque ad portas mortis pervenimus; immò penetravimus, nec aperiri nobis poterant t, ut inde prodiremus. Citat locum Job, ſed eum de ejuſdem Chriſti deſcenſu ad inferos Gregorius, Philippus, Latini alii, & ex Græcis in catena intelligunt idem Chryſoſt. Julianus, Theophilus. Arnobius autem hoc loco juxta dicta ſenſu iſto ultimo, & nonnullis aliis præcedentibus *portas æreas*, ait eſſe conſuetudines vitioſas, quæ ſic claudunt nos, ut propemodum etiam arbitrium noſtræ libertatis includant: *conteri*, quando qui conſueverant, verbi cauſſa, jurare, jurare jam nolunt; *vectes ferreos* eſſe immundos ſpiritus, qui portas nobis piæ conſuetudinis claudunt. Iſtos cum Apoſt. u gratulari poſſumus contritos ſub pedibus noſtris, gratia, beneficioque Chriſti. Inſinuatur ab eo qui vocatur Hier. octavus ſenſus, diſruptas eſſe à Chriſto catenas legis, ſcriptam credo intelligit, qua onerabantur Hebræi, ut importabili ferro x ut libero arbitrio ſerviremus, hoc eſt, non amplius in ſpiritu timoris, & ſervitutis, ſed in ſpiritu amoris, & filiorum Dei. Haberi poſſet nonus Tertulliani y, Chriſtum portas adamantinas mortis, & æneas ſeras inferorum infregiſſe, ut proinde jam noſtra ſit vita immortalis, & beata, ſi volumus nec per nos ſtet. Decimus apud Ayguanum, tametſi pertinens potius ad litteram, quod Civitas Geſſen, ubi habitabant filii Iſrael in Ægypto, claudebatur portis æreis, & vectes ferreos habebat, ſcilicet ne liberè exirent Hebræi. Simile quid videmus factitari aliquot diebus hebdomadæ ſanctæ in Urbe, ut Judæi teneantur incluſi de foris, nec poteſtas eis fiat egrediendi, quod alibi etiam notavi. Refert idem Auctor undecim ex quodam Richardo, beneficio Dei *portas æreas conteri*, & *vectes ferreos confringi*, quando tollit Deus pertinacem contradictionem audaciamque, ſicut ferrum omnia domat, neminem timet: & audacem rebellionem, quemadmodum æs ceteris metallis durabilius eſt. Diſtinguit præterea quinque veluti vectium genera, vectem quo portatur vinum, ſeu botrus conſolationis ſpiritualis *, pudicitiæ, ad portandam arcam ſanctitatis z; publicæ juſtitiæ, ad dandam urbi firmitatem a; divinæ potentiæ, ad præſtandam rei labili quietudinem b; diabolicæ malitiæ ad obdurandum cor peccatoris: atque de iſto vecte hìc ſermonem eſſe. Ex eo ſenſu qui eſt de limbi portis, & vectibus, colligunt nonnulli argumentum à ſimili, de inferno damnatorum, vel etiam purgatorii, ſpiritus illis locis detentos eatenus torqueri ab igne qui eſt ibi, quoniã detinentur tamquam alligati mancipatique tali carcere, quamvis ſimul aliquem dolorem idem ignis inferat. Alii probabiliter argumentatur Chriſti animæ deſcenſum ad inferos, ut Bellarminus noſter in controverſiis c; licèt aſſerat eſſe myſticum ſenſum dumtaxat, ad litteram vero certum eſſe tractari de liberatione ab Ægypto: quum tamen in commentario præſentis Pſ. explicet de communibus tribulationibus, & miſeriis præſertim ſpiritualibus, quas homines pati ſolent. Deſcriptionem portæ inferni non diſſimilem legere licet in profano Poeta d.

Porta adverſa, ingens, ſolidoque ad amante columna,
Vis ut nulla virum; non ipſi excidere ferro,
Cælicolæ valeant; ſtat ferrea turris ad auras.

a in Pſ. 138. b Pſ. 138. 11. c Mat. 16. 18. d cont. Jud. cap. 7. e lib. 1. c. 21. f lib. 4. c. 12. g orat. de quinque hæreſ. h cap. 45. 2. i ibid. k 4. periarchon. cap. 2. l Luc. 24. 32. m Apoc. 3. 7. Eſa. 22. n Luc. 11. 52. o Apoc. 5. 2. p in Apocal. [illegible] 3. q 1. Cor. 2. 10 r Pſ. 17. 30. ſ orat. 3. t Job. 38. 17. u Roma. 16. 20. x Act. 15. 10 y de reſur. Car. c. 44.

Vectium genera quinque. * Nu. 13. 24. z Exo. 25. 3. 14. a Pro. 18. 19. b Job. 38. 10. Quomodo damnatorũ animæ ab igne torqueantur. c lib. 4. de Chriſti anima cap. 11. d Virgil. 6. Æneid.

Verſ. 17.) Suſcepit eos de via iniquitatis eorum: propter injuſtitias enim ſuas humiliati ſunt.

Verſ. 18.) Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquaverunt uſque ad portas mortis.

Verſ. 19.) Et clamaverunt ad Dominum quum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberavit eos.

Verſ. 20.) Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.

Verſ. 21.) Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.

Verſ. 22.) Et ſacrificent ſacrificium laudis, & annuntient opera ejus in exultatione.

Miſeria tertia corporalis, pro cujus liberatione Deus laudari debet, eique agendæ gratiæ, morbus, & languor graviſſimus fuit, vel quando Hebræi ſerpentibus ignitis percuſſi ſunt e, vel aliàs ut in Babylonica quoque captivitate. Quum ergo vidiſſet Deus vi morbi, & languoris jacentes, proſtratoſque, ſuſtulit, & erexit de via iniquitatis, quæ ſic illos miſerè dejecerat, & afflixerat, erat vero aut murmuratio, aut idololatria, aut alius hujuſmodi ſcelus. Vis autem dicti mali tanta erat, ut quum non admitteret cibum, amittenda mox vita eſſet; niſi placatus Deus, clamoribus miſerorum ſuccurriſſet, jubens cõtinuo malum id ceſſare abſque remediis aliis extrinſecis; præterquam quod adverſus ſerpentum ictus, æneum excitari ſerpentem voluit; cui tamen facultatem nullam indidit ad ſanandum, ut Auctor libri Sapientiæ f ſcripſit. Hac inquam de cauſſa jam tertio repetens verſiculum Euchariſticum, invitat Propheta ad celebrandas miſericordias, & mirabilia opera Dei, ad ſacrificium laudis, ad feſtivum præconium ejus. Senſu myſtico deſignatur debilitas, infirmitaſque ſpiritualis. quum licet quis quid ſit agendum intelligat, cupiat etiam perficere, viribus deſtituitur, vel infirmitates habet: præterea tædio atque languore quodam afficitur, ita ut reſpuat alimoniam cœleſtem, periculumque ſit, ne fame non ex inopia quidem, ſed ex nauſea, & faſtidio pereat. Tanto malo non aliud remedium, quam ab implorato Deo qui verbum ſuum mittat tum doctrinam, tum Pater perſonam ſecundam Trinitatis, quæ verbum, ac filius eſt, ut noſtram aſſumat naturam, & genus humanum univerſum redimat, eidemque remedia ſalutis præbeat. Græci Enarratores ferre hoc ultimum tradunt, Latini aliud illud. Sed particulatim pro more ſingula perpendam.

Senſus loci. e Num. 21. 6 f cap. 16. 10. 11. 13. Senſus myſticus.

Suſcepit eos, de via iniquitatis eorum.) Hieronymus, *ſtulti propter viam ſceleris eorum*. Ita quidẽ in Bibliis Regiis:

apud Fabrum autem, Victorium, Trevetum, in accuſativo *ſtultus*; & Trevetus ſupplet verbum *redemit*, nempe ſtultos factos propter viam ſceleris, in qua ambulabant. Alii ſignificari volunt, retinendo rectum caſum *ſtulti*, quod quum imprudentes in tranſverſum abiiſſent, ac defeciſſent, & (quod habetur ſequenti membro) ob ſcelera ſua afflicti eſſent; & in inappetentiam cibi, mortiſque diſcrimen, ut ſequenti dicitur verſu, deveniſſent, clamaverunt ad Dominum, &c. Vel in accuſativo ſenſus eſt, quod ſtultos in ſtultitia peccandi libido perſiſtere fecit. In Hebr. textu nunc eſt nomen אוילים *evilim*. Richardus Cænomanus ſuſpicatur LXX. legiſſe ab אלם *illem*, id *collegit*, אלמם *illamam*, *collegit*, ſeu *ſuſcepit eos*, etiamſi id verbum, inquit, propriè *manipulos colligere* notet. Genebr. exiſtimat eſſe lectum אולים *juuelim* in Piel cum affixo pronomine, ante quod poeticè fit י *jod*, ab אול *juuel*, ideſt, *roboravit eos de via iniquitatis eorum*, ſeu *ſuſcepit, adjuvit, defendit, liberavit*, quæ omnia ſignificat ἀναλαβέσθαι; *de via iniquitatis eorum*, hoc eſt, quum adhuc in vivendi ratione iniqua verſarentur, & propterea pœnas luerent, & morbo afflictarentur, qui eſt via, ſeu refugium, & effectus iniquitatis, & quaſi ab iniquitate imprimitur, & ad quem ſæpe per eam pervenitur, denique divinitùs non raro illa de cauſſa immittitur. Agellius, & Bellarminus, putant eſſe debere אילם *aialem* ab איל *aial*, quod, inquit Bellarm. tempore LXX. ſignificaret *ſuſcipere*, quamvis in dictionariis ab ea radice deducantur dumtaxat voces, quæ ſignificent *fortitudinem, arietem, cervum* & ſimilia. Uterque confirmat ex titulo Pſ. 21. *pro ſuſceptione*, ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως, אילת אל *hhal aiieleth*, ideſt, ut ibi dixi, *pro auxilio*, quamvis alii vertant, *pro cerva*. Addit Agellius ex eodem Pſ. a, *Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me*, τὴν βοήθειάν σου אילותי *eialuthi*. Prima expoſitio, ac derivatio ſecundùm rem admitti poteſt: ſed in ſimilitudine vocum alienior videtur, quia nimis magna diſcrepantia eſt. Ac ne rei quidem, atque propoſito ſatis congruit collectio manipularis, niſi ſumas pro liberatione, perinde ac ſi ab incendio ſegetis manipuli aliqui eruerentur. Secunda ponit, vel à themate אול *aual* verbum אול *iuuel*, uſitatæ notionis tempore LXX. cujus non ſuppetit aliud exemplum: vel ab איל *aial* verbum item אול *iuuel*, permutando י *jod* in ו vau, quod non raro fit. Tertia vult ipſummet איל *aeal* ſignificare *ſuſcipere*, ideſt, *juvare*, hincque æquivalentia. Optio ſit præſertim inter poſteriores duas. Placet præterea *viam iniquitatis* intelligere ſicut explanavit Genebr. & ut ſubintelligamus cum Bellarmino, quod vidit Deus proſtratos jacere; & *ſuſcepit eos*, ideſt, erexit *de via iniquitatis eorum*. Nec improbabile eſt per *viam iniquitatis* innui peccatum actuale, quod quiſque init, ut ejus auctor eſt. Hanc odio habuiſſe ſe affirmat David b, & amoveri c à ſe petit, & ut Deus *videns ſi inſit, deducat ipſum in via æterna* d. Si ἀναλαβέσθαι accipias, ut etiam ſignificat *corripere, manumve injicere, prehendere*, ita ut idem quoque valeat *ſuſcipere*, poſſes explicare, quod Deus *de via iniquitatis ſuſcepit eos*, ideſt, injecta manu caſtigavit, & manu ſua prehendit, ac tetigit, nimirum morbo percutiens, quia verſabantur, vel dum adhuc verſarentur, & quaſi incederent in via iniquitatis ſuæ. Sic præpoſitio מן *min* ante דרך *derech*, ablato ן *nun* finali, ſignificaret *propter*, ut non raro alibi, e & Hebr. verbum juxta traditas notiones poſſet ad iſtum ſenſum trahi, ut ſignificat *juvare*, ſeu, ut ita dicam, *fortificare*, videlicet *fortiter percutere*. Conjecturam juvat nonnihil, quod in deſcriptione priorum duarum miſeriarum, & poſtea in quartæ initio ponitur ipſamet miſeratio, & poſtea liberatio ex illa. Quo circa hìc etiam *ſuſcipere de via iniquitatis*, videri poſſet eſſe propter iniquitatem ſuſcipere puniendos, ac tamquam in manus ſumere caſtigandos. Favet ſequens membrum, quod in Pſ. ſolet eſſe ſimile præcedenti, in eodem verſu, *propter injuſtitias enim ſuas humiliati ſunt*: ut *humiliari* ſit idem, quod *ſuſcipi*: *propter injuſtitias* ſit idem, quod *de via*, ſeu *propter viam iniquitatis*. Nihil affirmo, & *ſuſcipiendi* verbum talem uſum habere alibi non reperi. Aliæ conjecturæ nonnihil probabilem reddunt excogitatam iſtam à me expoſitionem. Deprehendi poſtea Lyranum, hoc pro ſe ferre: declarat enim, quod ſuſcepit Deus ad puniendum infirmitate corporis; ſicut pater, inquit, accipit filium ad caſtigandum. Idem docet Ayg. diſtinguens triplicem aliam ſuſceptionem Dei, per gratiam conſervantem innocentes f, per gratiam reparantem pœnitentes g, per gloriam præmiantem patientes h, ita ut hæc noſtra ſit per diſciplinam corrigentem delinquentes. Significat præterea *ſuſceptio* in genere quamlibet protectionem divinam. Communior, & verior expoſitio eſt, quod eruit Deus, ac liberavit de iniquitatis via, ſeu de via iniqua, illos, qui in ea erant, & propter eam patiebantur pœnam, quæ vocatur interdum ipſo nomine *iniquitatis*, tamquam effectus pro cauſſa: erat autem afflictio corporis, morbuſve, aut innominatus, aut ille ex ſerpentium ictibus. Vel, quod eodem redit, & congruit etiam cum poſtrema expoſitione, quod ideo Deus ſuſcepit ad puniendum, ut liberaret ab iniquitate, tùm vero ceſſaret quoque punitio. Unde Apollinarius,

πάντας ἀφαρπάξας μογερῆς κακότητος ὁδοῖο.
Omnes abripiens laborioſa flagitii via.

Deprimit namque iniquitas tamquam talentum plumbi, ut Nyſſenus i Zachariæ k docet teſtimonio, ita ut *Deum ſuſcipere de via illius* ſit de imo, ac profundo ſuſtollere; quod præterea ſequentis verba membri, ſignificat, *propter injuſtitias enim ſuas humilitati ſunt*.

a verſ. 20. b Pſ. 118. 104 c verſ. 29. d Pſ. 138. 24. e Abac. 2. 17 Apoc. 3. 13. Triplex Dei ſuſceptio. f Pſ. 40. 13. g Jerem. 3. 1. h Act. 7. 58. i tract. 1. in Pſ. cap. 8. k cap. 5. 7.

Propter injuſtitias enim ſuas humiliati ſunt.) Hieron. *& propter iniquitates afflicti*. Apud alios, ut ante retuli, in accuſativo *afflictos*. Hebraicè יתענו *ithhannu*, futurum pro præterito perfecto, vel imperfecto, & poteſt ſignificare *affligere ſe ipſum*, quod fit virtute humilitatis, ac pœnitentiæ. Sed videtur ſenſus eſſe de inflicta à Deo ipſo afflictione, & humiliatione. In textu Chaldæo Nebienſ. extat, *De Ezechia Rege Tribuum domus Juda prophetavit, & dixit Ezechias Rex domus Juda, qui renuit conjugium, affectus fuit, ſicut declinantes ad ſuperbiam, qui propter viam iniquam ſuam, & propter peccata ſua afflicti ſunt*. Quũ autem *humiliari* hoc ipſo etiam Latino verbo, & Hebr. quod hìc eſt, atque Græco ταπεινοῦσθαι, in Scriptura idem ſit, quod *cibum non capere*, ſive ſponte jejunando, ſive aliter, veriſimile eſt agi nunc de humiliatione, cujus fit mentio ſequenti verſu, per inediam, nauſeam, faſtidium, tædium, abominationem eſſe ex morbo, & languore, quem Deus immiſerit. Poſſet propterea denotari dejectus uſque ad terram, ob mali gravitatem, non virtutis humilitatis ſtudio, ſed quia urgebat neceſſitas & quædam, quaſi deſperatio dejiciebat, deprimebat, proſtrabat. Nyſſenus l explanans Eccleſiaſtæ m verba de Chriſto ſub typo Salomonis, quibus dicat *propoſuiſſe in animo ſuo quærere, & inveſtigare ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub Sole*, ac de his docens Chriſtum aſſerere voluiſſe quærere, & inveſtigare, & ut id faceret, incarnari, quia nimirum quę ſuper cœlum ſunt, opus non habebant aliquo qui inquireret, neque qui mederetur quod morbo laborabat, ſed in terra dumtaxat ſunt mala; confirmat, *quoniam elevata eſt magnificentia ipſius ſuper cælos* n ideſt, divinitas, (quamvis & de humanitate per Aſcenſionem exponi poſſit, ut aliàs vidimus *) & præterea quia hoc loco ſcribitur, eam partem, quæ ſub cœlis eſt, humiliatam, depreſſam, abjectam fuiſſe per vitium.

Omnem eſcam abominata eſt anima eorum.) Morbus lethalis fere omnis hunc operatur effectum. Quidam tamen peculiaris morbus *nauſea* dicitur à Medicis, quem hìc ſignificari vult Bochius, ſicut & Pſ. præcedente o, ubi per nomen *ſaturitatis*, quam Deus immiſit in animas Hebræorum carnes effuſius devorantium. Conſule ibi à nobis dicta. Non eſt probabilis expoſitio Ayg. de nauſea mannæ p, tametſi verum ſit poſſe omnem eſcam appellari, propter omne ſaporis genus, quod in ſe continebat q. Neque Cantapretenſem r audio, *omnem eſcam* hìc accipi pro una, τὴν πᾶν σύμψυχον, nimirum etiam pro manna. Longe melius affirmari poteſt de cibo doctrinæ, vel etiam Corporis Chriſti, quando reſpuitur, nimirum dici *omnem cibum*, ſeu *eſcam*, propter adeo multiplicem vim, quam continet in ſe, ut hoc loco docet Hugo, addens opus bonum. Nam *in omni verbo quod egreditur de ore Dei, vivit homo* : ſ *Caro Chriſti cibus eſt, & ſanguis potus* t: *facere voluntatem Dei cibus eſt* u, & *juſtus fructum adinventionum ſuarum comedit* x. Hunc cibum verbi divini Ambroſius y hortatur ut menti noſtræ deferamus, qui multa meditatione politus & attritus cor noſtrum, ſicut illud cæleſte manna, confirmet. De Ambroſio eodem teſtis Auguſtinus z, quod ejus eloquia miniſtrabant adipem frumenti divini, & lætitiam olei, & ſobriam vini ebrietatem populo Catholico Mediolanenſi. Subtilius eſt, quod Nyſſenus a *omnem eſcam* hìc plenitudinem omnis boni interpretatur, cujus fuga du-

l homil. 2. in Eccleſiaſtem m c. 1. 12. 13. n Pſal. 8. 2. * ibid. Nauſea morbus peculiaris. o verſ. 15. p Num. 21. 5 q Sap. 16. 20 r 6. hypothy. cap. 3. ſ Deut. 8. 3. Matth. 4. 4. t Joan. 6. 35. u Joan. 4. 34 x Eſa. 3. 10. y 2. de Cain. cap. 6. z 5. Confeſſ. cap. 13. a tract. 1. in Pſ. c. 8.

cat ad mortem:& quod comparat hanc *omnem eſcam* cum *omni ligno Paradiſi* de quo homo comedere juſſus *a* eſt. Græci quoque Enarratores explanant de faſtidito ipſomet cibo à Gentilibus, quem ipſis eorum Philoſophi exhibebant. Nam ut Chryſoſt. Theodoretus, vel Baſilius notant, Socratem, Anaxarchum, Pythagoræ ſucceſſores immaniter occiderunt. Juſtinus item antea Philoſophus, poſtea Chriſtianus, & Martyr teſtatur faſtidio ſe ſectarum aliarum tandem Chriſtianæ veritati animum applicuiſſe. Idem propemodum de ſeipſo in Confeſſionibus prodit Aug. Optanda, & ſalubris fames hæc: hic autem potius de noxia, & mortifera agitur. Illa nauſea, quam paſſi ſunt Hebr. circa manna, rectè ad iſtam circa dictos ſpirituales cibos transferri poteſt, quod etiàm facit Joannes Vitalis *b*, maximè circa verbum *prædicationis*. Periculoſiſſima ægrimonia nauſeæ, faſtidii, tædii, inappetentiæ, acediæ, languoris ſpiritualis, ita ut, quod ait Aug. nec legere, nec orare delectet, eoque periculoſior, quo ignotior tentatio. Gravis morbus, & execranda calamitas, inquit Caſſiodorus, divinæ legis appetentiam non habere. Nam unde poſſit vivere, ſi ſuam vitam B cœperit quis non amare? Vitium hoc acediæ Bernard. aliuſve nomen gerens ipſius Auctor ſermonis de paſſione Domini, Religioſorum ſcribit eſſe, illoque maximè affligi, quod quemdam torporem incutit animo, ut ipſis omnia exercitia ſpiritualia, quaſi inſipida videantur, & in grave tædium convertantur: de quo ait Pſalmiſta, *c dormitavit anima mea præ tædio.* Tandem quippe aliquando, inquit, affligitur hoc vitio anima bonorum, ut *omnem eſcam*, ideſt, omne ſpirituale exercitium abominetur, ut nec orare, nec legere, nec meditari, nec aliud opus bonum libeat exercere. Valet ad litteralis, ac myſtici ſenſus intelligentiam præſenti loci ſimilis locus ex Job *d abominabilis ei fit in vita ſua panis, & anima illius cibus ante deſiderabilis.* Inde ibidem *e* deſcribitur conſequens morboſus effectus, *ut tabeſcat caro, & oſſa nudentur*, videlicet cum affectione peſſima, quam nominant μαρασμὸν καὶ ἀτροφίαν, eſt qui vel ſolo cibi odore ſic offendatur, ut mori ſe malle aſſeveret, quam ad os ſe admovere: alius illatum in ſtomachum ferre nequit, ſed rejicit: appropinquat uterque ad portas mortis. Non mi- C rum, ſi ſtomachum quodammodo faciat Deo, & vomitionem illi tepidus provocet, ut eſt in Apocal ipſi *f*, & egregie declaratur à Caſſiano *g*, quum qui talis eſt, nonniſi quum ſtomacho ſpirituale alimoniam admittat. Non ſine cauſſa de ſeipſo Bernardus *h* loquens ait, (Ab heri, & nudius tertius invaſit me languor animi, mentis hebetudo, inſolita quædam inertia ſpiritus, ſuperbia inventa eſt in me,& Dominus declinavit in ira à ſervo ſuo.) Peccator nauſeans ſuper cibo divino, inhiat ad diabolicum. Etenim, ut notat Hugo, *paſcit ventum* ſuperbiæ, quum deberet eſſe *Ephraim* i, ideſt, fructuoſus, atque fructibus delectari: *comedit ſtercora ſua & bibit urinam pedum ſuorum* k, paſcens avaritiam, & cupiditatem ſuam temporalibus bonis, quæ Paulus *l* vocat *ſtercora*, & curis mundi anxiis, urentibuſque: *comedit fructum uteri ſui, & carnes filiorum, & filiarum* m, dum vacat luxuriæ. Hæc eadem amplificari poſſunt, & alia præterea ciborum genera, quibus peccator veſciturus in medium afferri. Semper eſurit, ſitique juſtus etiam in extremo ſpiritu, ſicut Chriſtus, immò in ipſamet beati- D tudine, ſine imperfectione tamen, & abſentia objecti. Accommodationis bono ſenſu licet de anima juſti uſurpare, quod *n calida quaſi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat.*

Et appropinquaverunt uſque ad portas mortis.) Hier. *acceſſerunt.* Deſcriptio eſt lethalis morbi, & unde mors timeatur, quaſi ſit porta, & ingreſſus in illam, quæ mors dici poteſt orci, ſeu inferni, ad quam moribundus Ezechias venire timebat *o*; de quo nominatìm hunc locum Paraphraſtem interpretari, antea monui: quod facit etiam ſaltem afferens eum in exemplum, Lyranus, & Ayguan. Non *oblici* tantum, ſed faſtidientis quoque *comedere panem, cor areſcit* p, & ad mortis appropinquat portas. *De portis mortis* egimus Pſ. 9. q *qui exaltas me de portis mortis*; & Sapientiæ 16. r, *deducit ad portas mortis*: & mentio etiam habetur in Job *ſ*. Myſticè *appropinquat*; nondum intrat *in portas mortis*, qui à mortali peccato parum abeſt; id adhuc non admiſit, quive conſequenter proce interitum eſt, ac æternam damnationem, vel ejus reatum, ſed non incurrit. Portas inferi *portas mortis* eſſe Ambroſ. *t* vult: *portas mortis* non poſſe eſſe portas Eccle-

a Gen. 2. 16.
b ſpecul. moral. ſcript. verbo Prædicator fol. 268.
c Pſ. 118. 28.
d cap. 33. 20
e verſ. 21.
f cap. 3. 15.
g coll. 4. c. 19
h ſer. 54. in Cant.
i Oſea 12. 1.
k Eſa. 36. 12
l Philip. 3. 8.
m Deut 28. 53.
Senſus accommodatitius.
n Eccleſiaſt. cap. 13. 12.
o Eſa. 38. 10
p Pſ. 101. 5.
q verſ. 14.
r verſ. 13.
Senſus myſticus.
ſ c. 38. 17.
t in Luc. c. 9

Aſiæ: utraſque portas eſſe ſingula quæque peccata. Si fornicatus fueris, inquit, *portas mortis* ingreſſus es: ſi fidem læſeris, *portas inferi* penetraſti: ſi peccatum mortale commiſeris, *portas mortis* intraſti. Sed potens eſt Deus, *qui exaltet de portis mortis, ut annuncies omnes laudes ejus in portis filiæ Sion* n. Mox mentionem ſubjiciens portarum Dei, & Eccleſiæ, quæ ſunt caſtitatis, atque juſtitiæ, quas juſtus intrare conſuevit; & *ingreſſus confiteri Domino* x, addit exhortationem. Et ideo fuge pertinaciam delictorum, ne portæ tibi poſſint inferi prævalere. Si enim dominatum fuerit peccatum in te, mortis porta prævaluit. Fuge ergo contentiones, diſſenſiones, ſtrepitus, tumultuſque diſcordiæ, ne portas mortis ingreſſus incurras. Hactenus ille. Cui conſentit Hugo, ſcribens, quod mors æterna habet tot portas, quot vias, ideſt, vitia.

Et clamaverunt ad Dominum, quum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberavit eos.] Intercalaris verſus tertio, repetitus, non tamen ſervato, ubique interſtitio eodem, ſeu verſuum præcedentium numero, ſicut etiam videre eſt in aliis Pſalmis, potiſſimùm in 79. *y* ubi quater quoque repetitur ille verſiculus, *Deus virtutum converte nos t & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus*. Variat translatio Latina paraphraſis Chaldææ hoc loco, quoniam exponit cum hypotheſi, *At ſi oraverint coram Domino, cum adeſt eis anguſtia, tum de afflictionibus eorum redimet eos*, quum tamen textus idem ſit, qui antea. Nebienſis translatio ſimplex eſt ſine hypotheſi. Explanat Ayguanus de percuſſis Hebr. à ſerpentibus, qui accurrentes ad Moyſen, faſſique peccatum murmuris contra Dominum,& ipſum flagitaverunt, ut oraret ſerpentes ab illis tolli *z*. Referunt id alii ad Ezechiam, in morbo deprecantem cum fletu magno *a*. Generalis ſententia eſt & myſticè de ſpiritualibus morbis peccatorũ ut dictum eſt.

Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos.) Cypr. *b*, *miſit ſermonem ſuum, & curavit illos*. Verbum *ſanationis* Paraph. exponit, ideſt, verbum, quo Deus efficaciter, ac pro poteſtate ſanitatem imperavit, ut dicto citius, & quamprimum ægrotis concederetur. Alludi volunt ad imperatam erectionem ænei ſerpentis, aut ad Eſaiam, cujus opera ſanatus Ezechias: utrobique autem non vi naturali, vel extrinſeca indita rebus, quæ ſolum ſunt adhibitæ ad figurandam aliud. Sed placet ſimplex ſenſus imperii divini, quod per quandam proſopopœjam eleganter declaratur, quaſi ſit perſona aliqua de cœlo miſſa. Sic aliquot locis præcedentium Pſalmorum vidimus Deum mittere *de ſummo* c, & *de cœlo* d, *auxilium de ſancto* e; *miſericordiam* f; *iram indignationis* g, *manum* h, *ſaturitatem* i, *tenebras* k; *& redemtionem* l; aliquando abſque ullo addito, *mittere* m. Tale ex Evangelio, n *Dic tantum verbo, & ſanabitur puer meus*: & in alio Pſ. *o*, *qui emittit eloquium ſuum terræ, velociter currit ſermo ejus: emittet verbum ſuum, & liquefacit ea.* Poetæ quoque verbis affingebant alas, ſicut deorum nuncio Mercurio, & nos Angelis. Inde πτερόεντα ἔπεα, & *volans irrevocabile verbum*, & *volucris vox*: Deus ipſe dixit *verbum à ſe miſſum*, ſeu *de ipſius ore egreſſum properandum in his, ad quæ miſit illud* p, quaſi quod poeticè dicitur ab alio, *vocem fata ſequantur*. Hunc item locum Chryſologus *q* de ſimplici juſſione Dei intellexit, quum de Centurione diſſerit, cujus memini, deque verbo, ac dicto, quo condita ſunt omnia, & in quo Petrus *r* laxavit rete. In libro Sapientiæ, dum ſit mentio de remediatis morſibus ſerpentum quod excitato factum eſt æneo ſerpente, vis divini præcepti, & verbi ſic declaratur, *ſ Etenim neque herba, neque malagma ſanavit eos, ſed tuus, Domine, ſermo, qui ſanat omnia. Tu es enim Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis, & reducis.* Et prius *t* eodem loco, *Qui enim converſus eſt non per hoc, quod videbat, ſanabatur, ſed per te omnium Salvatorem.* Ibi adnotavimus myſticè *ſermonem*, ſicut & hic *verbum* pro ſecunda ſumi perſona, ſeu pro Filio, quem Pater miſerit medicum, & Salvatorem humani generis: magnam præterea ineſſe facultatem verbo divino tùm ſcripto, tùm prædicato adverſus animi morbos. Hoc loco indicari Trinitatis perſonam ſecundam, & incarnationem Filii à Patre miſſi, docent, is qui vocatur Hier. Haimo, Hugo, Pampolitanus, Rickelius, Cajet. Placidus Parmenſis, Valentia, Titelmanus, Bellarminus; & ex Græcis Baſilius ſive Theodoret. Chryſoſt. Euthym. Nicephor. præterea ſcribens Marcellino Athanaſius, & locis aliis *u*: rurſum in Panoplia *x* Euth. item Nyſſen. *y* vocans ζῶντα καὶ ἔμψυχον λόγον, *vivens, & animatum verbum*; & interrogans, quis

u Pſ. 9. 15.
Portæ Dei, & Eccleſiæ
x Pſ. 117. 19, 20.
y verſ. 4. 8, 15. 20.
z Num. 21. 7
a 4. Reg. 20, 3. 2. Par. 32, 24. Eſa. 38. 3
b lib. 2. ca. 3.
c Pſ. 17. 12.
d Pſal. 56. 4.
e Pſal. 19. 3.
f Pſal 56. 4.
g Pſ. 77. 49.
h Pſ. 80. 15.
i Pſ. 105. 15.
k Pſ. 04. 28.
l Pſ. 110. 9.
m Pſa. 104. 20.
n Mat. 8. 8.
o Pſal. 147. 15. 18.
Poetæ verbis alas affingebant.
p Eſa. 55. 11
q ſer. 15. & 211.
r Luc. 5. 5.
ſ c. 16. 12. 13.
t verſ. 7.
u de incarnat. Verbi.
x par. 1. tit. 8
y tr. 1. in Pſ. cap. 8. & in fragmentis to. 3. Biblioth.

quis Evangeliſta, ὑγιῶς γυμνῶς, *tam nudè*, ideſt, apertè, ἐκβοᾷ τὸ μυστήριον, *exclamat*, & *explanat hoc myſterium*. Traditur idem à Cyrillo *a* Alexandrino, & Ambroſio, *b* qui ſolum hunc medicum perfectum affirmat, ſine quo fruſtra, conſumto patrimonio, quæritur medicina *c*; & cujus medicamento oculos corporis, animæque Pauli ſanatus *d* eſt. Hoc *verbum* Chryſologus explanans de Chriſti ſalutari juſſione, nominat ſuavitatem, & vitam, quo accedente confeſtìm fugiat dolor, infirmitas mox recedat. Probat præterea Cyprian. *e* hoc teſtimonio, quod Chriſtus ſit *ſermo*, ſeu *verbum* Dei. Favet etiam Hier. *f* Origenes *g* vero idem aſſerens, demonſtrat quantopere doctrina ſit utilis ad animi morbos medendũm. Jam cuivis infirmo licet dicere, poſtquam hic, *qui mittendum* h *erat*, miſſus eſt, venitque, *quia fortis ego ſum* i. Venit, inquam, ad male habentes magnus iſte medicus, *ſanans omnes infirmitates* k, & omnes *contritos corde* noſter *l* Ἰησοῦς verus, ac perfectus ἰατρός. Abutuntur hæretici noſtri temporis hoc loco pro fide juſtificante, quaſi ſola id operetur, & ſanet, ac ſalvet. Non ſufficit verbum fide apprehendere: debet etiam charitate impleri, quoniam B imperat opera facienda; ita ut judicio Chriſti *m* ſit *ſtultus, ædificanſque domum ſuper arenam, qui audit, & non facit*. Jacobus *n* jubet *ſuſcipi inſitum verbum, quod poſſit ſalvare animas noſtras*, ſi videlicet veluti ſemen ſuſcipiatur in corde bono, & retineatur cum patientia, & fructificet *o* opera bona. Euthymius argumentatur perſonarum divinarum diſtinctionem: neque enim dicere poſſumus, inquit, miſſum niſi miſſa perſona ſubſiſtat,& vivat.

Et eripuit eos de interioribus eorum.) Hier. *& ſalvavit de interitu eorum*. Et tamen plurale שחיתות *ſcechithoth*, quaſi alii *foveas* interpretantur, aut *ſepulchra*, aut *retia*, aut *perditiones*, denique *proxima mortis pericula*: quæ Græcè hìc vocantur διαφθορῶν; & alibi à Hieronymo * *corruptiones* vertuntur; à Chryſologo *p*, *de corruptela eorum*, quomodo legitur etiam in vetere Pſalterio, & ab Auguſtino, ac Proſpero. Ab Ambroſio *q*, *& ex omnibus infirmitatibus ſuis liberavit eos*: In Pſalterio Romano, apudque Arnobium, & Caſſiod. *de interitu*. In quibuſdam codicibus, ut refert Genebrardus, *de internecionibus*. Quocirca non adeo magna vis in *eripiendi* Latino C verbo, quam obſervat Hugo, ut prius uſurpatum ſit verbum *liberandi*, ad indicandam liberationem à ſervitute peccati, libertatem conceſſam; poſtea ſanandi, ut denotaretur prior infirmitas; tandem *eripere de interitionibus* innuat gladium peccati, qui animas interimit. Nec multo probabilior in eodem verbo notatio, ut eripere peccatorem debeat prædicator, ſi ſanantis non admittat medicinam ex oleo, vinoque permixtam, ideſt, violenter compeſcere, pœniſque coercere. In Threnis *r* quod legimus *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris*, Hebr. Græcèque dicitur his ipſis nominibus, quæ hoc loco habentur. Ampla differendi materia de ignorantia partis rationalis, infirmitate concupiſcibilis, furore iraſcibilis, infinitis prope corporis, animique morbis, & innumerabilibus tum internis, tum externis peccandi occaſionibus, ac æternæ damnationis periculis, adverſus quæ omnia mala, & incommoda opportunis nobis libertatis, & ſalutis noſtræ vindex aſſertorque occurrit remediis. Perſtringit Aquinas paucis hæc omnia in prologo 4. ſent. in quo tractat locum iſtum, ap- D plicans ad incarnationem, & ſacramenta quibus allata eſt medicina morti, & infirmitatibus animæ.

Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.) Nullo loco melius accinitur gratulatorius iſte verſiculis, quam ſalute conceſſa, vitaque reſtituta, præſertìm ſpirituali. Nullum opus commendat magis Deum, quam redemtio generis humani; hæc omnium miſericordiarum, atque mirabilium Dei ſumma, compendium, epilogus, non ob redemtionem magis, quam ob redimendi modum per incarnationem, & paſſionem Filii Dei, utque pro hominibus Deus fieret homo; idem medicus, & medicina, ſalvator, & ſalus, paſtor, & paſcua; redemtor, & redemtio, redemtioniſve pretium.

Et ſacrificent ſacrificium laudis, & annuncient opera ejus in exultatione.) Hier. *& immolent hoſtias gratiarum, & narrent opera ejus in laude*. Synonymus videtur hic verſus præcedenti. Sed quod tribuebatur miſericordiis Dei, ac mirabilibus, ut confiterentur, perinde ac ſi eſſent perſonæ quædam, ut pridem diximus, id nunc imperatur hominibus, nec enim mirabilia ita aptè intelliguntur an-

a l. 5. in Eſ.
b in Pſal. 43
c Luc. 8. 43.
d Act. 9. 18.
e lib. 2. c. 3.
f in Ezech. cap. 34.
g 1. cont. Celſum.
h Geneſ. 49.
Is. Exo. 4. 13.
i Joel. 3. 10.
k Pſ. 102. 3.
l Pſ. 146. 3.
Hæretici hunc locũ pro fide juſtificante accipiunt.
m Matth. 7. 26.
n cap. 1. 21.
o Matt. 13.
* in Ez. 34.
p ſerm. 151.
q in Pſ. 118. ſerm. 3.
r cap. 4. 20.

Anunciare opera; quamvis utcumque poſſent intelligi tùm ipſa tùm miſericordiæ *ſacrificium laudis* Deo. De *ſacrificio laudis* ſive εὐχαριστία, quod nomen etiam Aquila ponit hoc loco, egimus Pſ. 49. *ſ* ubi Propheta invitat ad *immolandum Deo ſacrificium laudis*: & Deus ipſe inducitur affirmans ſe honorari ſacrificio laudis. Notant vero Græci abolitionem veterum ſacrificiorum hic inſinuari, & inſtitutionem rationalis, ac Evangelici. Libet uſurpare orationem Raguelis, & Annæ, applicando ad nos. *t Benedicimus te Domine Deus Iſrael quia non contigit quemadmodum putabimus* (quemadmodum merebamus) *feciſti enim nobis cum miſericordia tua, & excluſiſti à nobis inimicum perſequentem nos* (diabolum homicidam) *miſertus es autem duobus unicis* (Tobiæ juniori, & Saræ uxori; ſed & omnibus hominibus) *fac nos Domine plenius benedicere te, & ſacrificium tibi laudis tuæ, & noſtræ ſanitatis offerre, ut cognoſcat univerſitas gentium, quia tu es Deus ſolus in univerſa terra*. Sed & imitantes Tobiam, utrumque cum uxore utriuſque pro beneficio Raphaelis hoc eſt, ſanantis Dei, *proſtratique in faciem* non *per tres horas* tantùm, verùm ſemper & in omni tempore *benedicamus Deum, & exſurgentes narremus omnia mirabilia ejus* u. Argutè diſtinguit Hugo ſacrificium de carne: jejunium: de anima contritionem, & devotionem: de rebus eleemoſynam; de ore, orationem: de pedibus, peregrinationem: de dorſo, diſciplinam: de renibus, continentiam: de oculis, lacrymam: de auribus, auditum ſermonem Dei: de omnibus, ut *omnia in gloriam Dei fiant* x. Confirmat cetera Scripturæ teſtimoniis. Ayguanus enumerat ſacrificium corporalis macerationis, & pœnitentiæ: temporalis diſtributionis, & eleemoſynæ: ſacramentalis conſecrationis, & Euchariſtiæ. Egimus jam prioribus Pſ. aliquoties de multiplici genere ſacrificiorum tùm veterum, tùm legis novæ, cujus, propriè loquendo, unicum eſt Euchariſtiæ, quod maximè meretur nomen תודה *thodah*, *confeſſionis*, & *gratiarum actionis*, ſeu *confeſſionis pro beneficiis acceptis*, redemtionis præſertìm, & illo quod in ipſomet ſacrificato continetur, item laudis divinorum attributorum: denique confeſſionis peccatorum. Nam in Euchariſtiæ ſacrificio, ut Paulus *y* Burgenſis docet, homo confitetur ſe à Deo recepiſſe beneficium redemtionis, agitque hoc nomine gratias; conſiderat excellentiam divinæ poteſtatis in illo mirabilium Dei compendio: attendit proprium defectum & fragilitatem.

Verſ. 23.] Qui deſcendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis,

Verſ. 24.) Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo.

Verſ. 25.) Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus ejus.

Verſ. 26.) Aſcendunt uſque ad cœlos, & deſcendunt uſque ad abyſſos: anima eorum in malis tabeſcebat.

Verſ. 27.) Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum devorata eſt.

Verſ. 28.) Et clamaverunt ad Dominum quum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eduxit eos.

Verſ. 29.) Et ſtatuit procellam ejus in auram, & ſiluerunt fluctus ejus.

Verſ. 30.) Et lætati ſunt quia ſiluerunt, & deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Verſ. 31.) Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.

Verſ. 32.) Et exaltent eum in Eccleſia plebis & in cathedra ſeniorum laudent eum.

QUanta laus Dei, ob liberationem à miſeria quarta periclitantium in mari, quam, quum ante tempora Davidis non legantur Hebr. experti, ſed poſtea Jonas *z* cum aliis, putant Baſilius, ſeu Theodoret. & Chryſoſt. per iſtam parabolam deſcribi liberationem eorum

ſ verſ. 14.
t Tobiæ 8. 17 18. 19.
u 12. 21. 22.
Sacrificii ſecundùm Hugonem arguta diſtinctio.
x 1. Cor. 10. 31.
2. ſcrut. ſcrip.
y 2. d. 3. c. 14.
Senſus loci.
z cap. 1.

à graviſſimis calamitatibus, & à captivitate. Ajunt præterea ſignificari allegoricè prioris hominum erroris finē, animarumque tranquillitatem, & reſurrectionis ſpem, quam in Eccleſiarum naves Apoſtoli deſcendentes, prædicaverint; *videndo mirabilia opera Dei in profundo*, quæ ſcilicet per ipſoſmet operari dignatus eſt, ſecundùm altitudinem ſapientiæ ſuæ, qua res noſtras adminiſtrat. Favet etiam Nyſſenus *a*. Addit Chryſoſtomus, tranquillatum mare à Chriſto, quum paterentur Apoſtoli naufragium, *b* quorum & aliqui de mari prius vocati fuerant: *c* Quem ſolum ſenſum tradunt Euthym. Nicephoruſq; & auctor operis *d* imperfecti velut litteralem. Simile aliud naufragium narratur in Actibus Apoſtolor. *e*, & in hiſtoriis Eccleſiaſticis alia tùm apud Paulinum *f*, tùm apud Gregorium *g* lectu ſanè digniſſima. Latini ferè, Aug. Duce, declarant de Prælatis, qui frequenter tolerant tempeſtates, ſeditionum, & diſſenſionum; agnoſcentes ideo Deum ſinere ut hæc fiant, ut probati manifeſtiores ſint, & ut ipſe in preſſuris à fidelibus invocetur. Variis adhuc modis idipſum declaratur, de quibus poſtea ſeorſim. In genere videtur ad litteram ſermo eſſe de B naufragii periculo, quiſquis tandem id ante Davidem ſubierit, vel poſt illum ſubeat. Deſcriptio porro iſtius periculi adeo clari eſt, ut nullo negotio percipiatur. Nonnulla tamen in partium ſingularum enodatione notabuntur.

a tract. 1. in Pſ. c. 8. *b* Mat. 8. 26 & 14. 32. *c* c. 4. 20. 21. *d* hom. 23. in Matth. *e* cap. 27. *f* Epiſt. 34. *g* 3. dial. c. 4.

Qui deſcendunt mare in navibus.] In Pſal. præcedente * dicebantur Hebr. aſcendiſſe in mare rubrum, propter allatam ibi rationem. Ex hoc loco inferunt mare terra inferius eſſe. Agell. ratione probatum dicit quod mare ſit altius quam terra: iſtius vero dicendi formulæ cauſſam aſſignat, ut habeatur ratio illius partis terræ, quæ ſupra mare eminet, quod tranſeundum eſt: vel quoniam navigaturus intrat ad interiora navis, ubi aquæ excipiuntur. Propter aliā rationem dicimus navem conſcendere, quia prominet, & factitio ponte, ſeu ſcala illuc aſcendimus. Abſolutè autem mare eſſe inferius, demonſtrari alibi docui. De navis etiam inventione, uſuque alio loco *h*, deque Eccleſiæ comparatione cum navi, nec non de ſimilitudine inter gubernatorem utriuſq; quæ quia vox à Græca κυβερνήτης ac verbo κυβερνᾶν petita, primario eum deſignat qui navem gubernat. Prælato, ac Prædicatori, qui C mente in cœlo fixus ad alios erudiendos deſcendit, convenit piſcaturam exercere, mercaturam piraticam, vel potius armis reſiſtere illam exercentibus, ut capiat hamo verbi, ſanginave piſces tamquam *piſcator hominum* i; ut convehat & *portet longe panem* k doctrinæ divinæ; ut dæmonum, & hominum reluctetur perſecutionibus. Hugo autem primum laudat tamquam ſtudioſū ſalutis animarum; ſecundum tolerat, ut temporale quærentem lucrum; tertium damnat, quaſi piratam, furem, latronem, qui ſubditos expoliet, excuriet, mactet, perdat. Navem præterea docet eſſe ordinem religioſum; alii pœnitentiam, Eccleſiam, Marias, alias res, in quibus hærendum non eſt. De analogia cum pœnitentia legatur Olcot *l*. Oſtendit ad ſimilitudinem navis pœnitentiam initio vitæ eſſe anguſtā, & in fine, ideſt, difficilem; in medio latam, facilemq; omnis conditionis homines excipere, quantumvis immundos peccatores: in periculis verſari, quibus occurratur, exonerando ſarcinas; foramina obſtruendo; aquam ejiciendo, anchoram figendo: cavenda Syrenarum cantica, Circis pocula, cetos & belluas alias; adde Sirtes, & ſcopulos. Ambroſ. *m* quoque demonſtrat navem animæ noſtræ noſtrum corpus eſſe; quod Baſilius *n* quoque docet. Ceterum ſenſus ille, quem docui ab Enarratoribus Latinis tradi, de his, qui præſunt Eccleſiæ, patiunturque in hoc mari ſæculi perſecutiones, affertur etiam à Hier. in Zachariam *o*. Hi ſunt, ait, qui deſcenderunt in mare, & in Eccleſiarum navibus faciunt opera multa, & cernunt mirabilia in profundo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, & in Spiritu Sancto, qui ſcrutatur etiam alta Dei, quibus Dominus loquitur *p*: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum*. Subdit Eſaiæ *q* teſtimonium de iſta navigatione, & aliorum Pſalmorum *r* de poteſtate quam Deus conceſſit navigantibus hoc mare. Eadem fere habetur in Eſaiam *ſ*: in Ezechielem *t* verò interpretatur myſtico ſermone agi de negotiatoribus, qui verſantur in mediis perturbationum fluctibus. Bernard. *u* diſertè aſſerit prælatos eſſe, qui *deſcendunt mare in navibus facientes operationem in aquis multis*: *aſcendere uſque ad cœlos, deſcendere uſque ad inferos*, nunc quidem ſpiritualia tractantes, atque ſublimia; nunc infernalia, & horribilia facta dijudicantes: navem quæ tam immanes ſuſtineat fluctus, & tanto ſecura ſit di-

* verſ. 7. Mare terra inferius. *h* Sap. 15. 1. & ſeq. & in 1. Pet. 3. 20. *i* Jer. 16. 16. Matt. 4. 19. Luca 5. 10. *k* Pro. 31. 14 *l* in Sap. c. 4. 3. lect. 64. *m* 1. de interpel. Job. cap. 5. *n* in Eſa. c. 2 *o* cap. 10. *p* Mat. 4. 19. *q* cap. 60. 9. *r* Pſal. 88. 10 Pſal. 103. 25. *ſ* in cap. 2. & 21. *t* in cap. 27. *u* ſermon. de trib. ordin. Eccl. ad Patres in capitulo.

A ſcrimine leſſe, quæ fortis eſt; ut mors; dilectionem, quę dura ſicut infernus, æmulationem, quia *aquæ multæ non poſſunt extinguere charitatem* x: iſtam adeo neceſſariam prælatis navem debere eſſe compactam tribus lateribus, ut ſi charitas *de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta* y; nempe, ut prælati prodeſſe deſiperent, non præeſſe, & proprium commodum, honoremque ſæculi, & aliud quidpiam in ſua prælatione non quærant, præter ſolum beneplacitum Dei, & animarum ſalutem: ut cum intentione pura irreprehenſibilem quoque habeāt converſationem, *& forma facti gregis* z, *incipiant facere* a, ne docentes, audiant à fratribus; *medice* b *cura teipſum*: ut fides ſit non ficta, quatenus quales ſunt in converſatione, tales etiam ſint in occulta cogitatione, ne videantur foris humiles; & intus ſint elati. Caſſiod. hoc loco *deſcendentes mare* facit Sacerdotes, ad hæc ſæculi procelloſa in navibus Eccleſiarum ligno Crucis enavigando; ibi eſſe gubernatorem Chriſtum, remiges Apoſtolos, & ſanctorum Pontificum beatam collectionem: *operari in aquis multis*, prædicando populis, quia *aquæ multæ populi multi*: * ibi *videre opera Domini, & mirabilia in profundo*, dum ſpirituali intelligentia cognoſcunt per mare rubrum, verbi cauſſa, baptiſmum, ſepulchrum Chriſti per Jonæ triduanam ferini ventris innoxiam habitationem, & ſic de aliis. Iſidorus Peluſiota *c* ſcribit diſcipulos Domini *deſcendiſſe mare in navibus*, feciſſeque operationes multas quoniam ex priore vitæ inſtituto navigandi, & piſcandi munus factitabant, traducti ad ſpiritualem navigationem piſcationemque *d*; hoc autem mare tranquillum reddidiſſe, ſicque *in aquis multis operationes feciſſe*. Nyſſenus *e* vult hic deſcribi homines veluti marinos effectos per temeritatem, & artem factitantes, obnoxiam ſubmerſioni, paradiſi cultura relicta, videntes facto ſæpius animæ naufragio, in ſe ipſis opera benignitatis Dei, eruentis illos ex profundo. Baſilius *f* in meliorem partem ſumendo accipiens nauclerum, & gubernatorem, ejus quemlibet noſtrum fungi vult officio in enaviganda hac procelloſa vita; ejuſdemque officii partes perſequitur ſecundum tropologiam. Rurſum *g* commendabiles docet naves eſſe, navigan teſque, qui mare pertranſeunt, non trahunt in eo moram, nec immerguntur undarum æſtu, ſed quærunt lucrifacere illos, qui ſe gurgiti deliciarum immergunt: ob hoc hos noſſe opera Domini, mercedem ſcilicet ſuæ operationis, & conſequi intelligentiam operum Domini, & mirabilium ejus in profundo gurgite. Aug. hoc loco monet; quamvis Prælatos maxime attingat locus ille, ac tentatio, periculumque, tamen ad alios pertinere, qui navi vehuntur, ut ſollicitos oporteat eſſe, proque gubernatoribus orare, qui ſedent ad gubernacula. Idem ſanctiſſimus, & humillimus Doctor *h* deplorans tractum ſe ad gubernandum, tractat gubernationis pericula ex ſimilitudine cum navigatione. Macharius *i* ait non poſſe tranſmitti acerbum mare peccati, & difficilem abyſſum improborum ſpirituum caliginis affectionum ſine ligno levi, & navi ſpiritus Chriſti: ſicut autem nemo haurit, aut bibit è mari; ita Chriſtianam animam non è ſæculo, ſed deſuper è cœlo cibum cæleſtem capere, ſpiritualiaque indumenta: Chriſtum eſſe pro gubernatore, ventoque commodo.

x Cant. 8. 7. *y* 1. Tim. 1. 5 *z* 1. P. 1. 5. 3. *a* Act. 1. 1. *b* Luca 4. 23 * Apo. 17. 15 *c* l. 1. Ep. 183 *d* Mat. 4. 19. *e* tract. 1. in Pſ. cap. 8. *f* homil. in princ. Prov. *g* in Eſa. c. 2. *h* Epiſt. 148. *i* hom. 44.

Facientes operationem in aquis multis.) Hier. *opus*. Alibi *k*, *& qui faciunt opus*, vel *l facientes operationes*, vel D *m opera multa*. In Romano Pſalterio *operationes*, ſingularis numeri eſt מלאכה *melachah*, & ἐργασία. Chaldaicè in textu Nebienſis, *De nautis Jonæ Amitai prophetavit, & dixit; nautæ deſcendendentes in mare cum navibus, facientes opus in aquis multis*. Videlicet Paraphraſtes ille vaticinationem hìc putat eſſe de Jonæ naufragio. Generalior ſententia eſt. Operatio autem intelligi poteſt de omni illa, quæ navigantibus convenit, remigando, velificando, &c. vel quam intendunt, ut negotiatio, mercatura, vectatio, peregrinatio, expeditio bellica. Nomen Hebræum denotat potius opus ſervile, ac miniſteriale, ità ut videatur ſermo eſſe de laborantibus in navigando remigibus, aliiſve: qui etiam aut ſoli, aut multo melius quam qui tantum vehuntur, vident, & obſervant opera, ac mirabilia Domini, eaque experiuntur quæ hoc loco ponuntur, utpote qui ſint aſſidui navi, & navigationi ipſi dent operam. Aliud nomen Græcum indicat elaborationem operis, lucrum, quæſtumque ex arte, atque negotiationem. Ultima notione conveniret ſententia mercatoribus, & militibus frequentantibus navigationem. Maledicta eſt à Deo terra in opere hominis circa illam *a*, quia ſola

k in Eſa. c. 2 *l* in ea. 21. & in Ezech. ca. 17. *m* in Zacha. cap. 4.

ſola colebatur, & colenda tradita erat. Non idcirco exceptæ à maledicto aquæ: ſed operantium in illis anima tabeſcit, ut paullo poſt *b* hìc dicitur.

a Gen. 3. 17. *b* verſ. 26.

Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo.) Maris epithetum eſt, *profundum*: ita ut abſolutè poſitum ſignificet *mare*, *aquas multas*, magnaſve, quæ proxime ante memoratæ ſunt, ſicut & τὸ βυθὸν, & מצולה *metſulah*, quam poſſis quoque nominare *abyſſum*, & *voraginem*. Lege Pſ. 67. *c* & 68. *d* & 87. *e*. Opera, & mirabilia Dei in profundo aquarum multarum, & maris, ſunt quæcumque in eo concitant ſui admirationem. Præter *mirabiles elationes maris* frementis, ac roborantis, & *mirabilem in altis Dominum* f, tot inſulæ, promontoria, ſcopuli, piſces tam varii generis, margaritæ, fluxus, & refluxus, aliæque res innumerabiles defixum tenent illas cernentis, vel etiam audientis animum. Ayguanus refert expoſitionem de nautis, qui jactato Jona ſecutaq; tranquillitate mirati, miſerunt qui viderent, quid illo factum eſſet, & hi renunciaverunt mirabile illud opus Dei, quod Jonam, Cete deglutiviſſet, nec læſiſſet. Auctor Eccleſiaſtici *g* quum inter mirifica Dei opera ultimo B narraſſet loco, quæ pertinent ad mare, monet non poſſe umquam laudari Deum pro dignitate. Sic autem de navigantibus mare ſcribit *h*, *Qui navigant mare, enarrent pericula ejus & audientes auribus noſtris admirabimur*. Illic præclara opera & mirabilia: varia beſtiarum genera, & omnium pecorum, & creatura belluarum. De his quoque diximus Pſ. 163. *i* & de aliis in Pſ. 62. *k* & in aliis; & de navigationis periculo in libro Sapientiæ. *l* Simul encomio dignum mare, quod Ariſtides peculiariter Ægeo tribuit ampliſſimum ſimul quod de eodem per parœmiā ſignificatur, Ægeum naviga, periculis plenſſimum. Pœnituit merito Catonem aqua iter feciſſe, quum poſſet terra. Non pœnitenda avorum noſtrorum memoria navigatio, qua tot adhuc ignotæ repertæ regiones, res tam multæ, adeòque admirandæ deprehenſæ, & numquam prius Evangelii percepta lux, miſeris illis illata mortalibus. Myſtico ſenſu Apoſtolos, & his ſimiles docuimus in hoc profundo aquarum multarum percepiſſe opera, & myſteria Chriſti, atque ſcripturarum. Hunc ipſum de Apoſtolis piſcatoribus arcanum ſenſum à veteribus Rabinis ante Chriſtum, traditum, mirari ſatis non queo. Refert Nebienſis jam inde à verſu 20. Rabinorum explanationem iſtiuſmodi. Verbum Dei quod ille miſiſſe dicitur, eſſe nuncium, ſeu oratorem ejus, id quum venerit, honorificatum iri; qui ſanabit, & liberabit à plagis illos, qui credent ipſi: ſed quia pauci hi erunt, & quidem craſſioris ingenii, viri piſcatores, exercenteſque ſe in mari, propterea dici hoc loco, quod verbum *ſanabit illos*, non autem abſolutè *vos*, & quod *deſcendentes mare in navibus facientes operationes in aquis multis ipſi viderunt opus Dei*, ipſi, inquam, qui non videbantur idonei, ob ruditatem ſenſus ad admittendum *deſcendentes mare in navibus*, ait eſſe, qui in converſione ſancta in iſto mundo degunt: *facere operationem in aquis multis* verbo, & exemplo, in iis, qui eos aut adiunt, aut imitantur: *videre opera Domini* quotidie, ad hoc vocando ut videant quæ iſte mundus ſic fruendo non videt, & præterea *conſiderare mirabilia Dei in profundo*. Inter mirabilia Dei in hoc profundo mundi præſentis ponit Ayguan. quempiam bene vivere, male mori: alium vitiis prius immerſum emergere in fine vitæ, beneque mori, quam Gregorius *m* appellat (abyſſum multam judiciorum divinorum *n*.) Exempla ſunt in Juda damnato, latrone electo, Judæis reprobatis, Gentilibus vocatis, in Paulo ad apoſtolatum ex perſecutore aſcito, & *corpus* tamen *caſtigante, ne reprobus efficiatur* o: in duobus eodem parente natis, immo conceptis; eademque ratione educatis, quorum alter tamen pronus ad vitia, alter proclivis ad virtutes in infimæ ſortis homine ad ſummum dignitatis gradum evecto, & in alio ex ſummo in infimum dejecto: in corruptiſſimo per divinæ vim gratiæ ad eximiam ſanctitatem brevi translato, aut etiam vice verſa ex ſanctitate in omnem turpitudinem deformato: in *inſcrutabili corde p* hominis: in inſcrutabilibus modis, quibus Deus utitur, ut durum reſolvat in lacrymas, incontinentem redigat ad puritatem Angelicam, efferatum ad manſuetudinem, ſuperbum ad humilitatem, &c. ut *in profundo peccatorum contemnens q* reſipiſcat: ut profundè ac ſeriò, non in ſola ſuperficie, atque perfunctoriè pœnitentiam agat: ut ex profundo ignorantiæ, erroris, perturbationis, damnationis feliciter emergat.

c verſ. 23. *d* verſ. 3. 16. *e* verſ. 7. *f* Pſ. 92. 4. *g* c. 43. toto. *h* v. 26. 27. *i* verſ. 25. *k* verſ. 10. *l* ca. 14. 1. & ſeq. Paſemia. Senſus myſticus. De Apoſtolis piſcatoribus ſenſus arcanus à veteribus R. traditus ante Chriſtum. *m* 26. mora. cap. 9. *n* Pſ. 35. 7. *o* 1. Cor. 9. 27. *p* Jer. 17. 9. *q* Prov. 18. 3.

A *Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ.*) Hier. *dixit, & ſurrexit ventus tempeſtatis*. Alii, *fecit ſtare, ſtatuit, collocavit, excitavit*. Hebræum יעמד *iahhamed* in hiphil hæc ſignificat; pro quo videtur Hier. legiſſe יעמד *iahhamod* in kal. Sed *ſurrexit, ſtetit*, ἔστη propter præcedens verbum, *dixit*, ויאמר *iomer*, εἶπε, quod ſignificat efficax Dei præceptum, denotant Deum ſtare feciſſe, ſtatuiſſe, collocaviſſe, excitaviſſe. Idem valet Chaldæum אקים *akim ſuſcitavit*. Itaque non ſignificat jam excitatam procellam, ſtetiſſe jubente Deo; ideſt, ſedatam eſſe. Non importatur, inquit Lyranus, quietatio venti, ſed magis fortificatio, ſicut homo ſtans fortior eſt quam jacens, vel ſedens. Confirmat ex recitata Hier. translatione, ſtabilis fuit, ſurrexit, atque invaluit, ut explicat Rickelius, permanſit, & perduravit, ut Aug. adhuc turbat, diu jactat, ſævit, & non tranſit. Denique *ſtetit* idem eſt, quod *extitit, exurrexit, exortus eſt, inſtituit, increvit*: & ſtare fecit Deus ventum tempeſtatis, inquit Cajetan. & Placidus Parmenſis, quaſi ad pugnandum contra mare. Quare non poteſt eſſe Hier. qui nomen illius gerens, B minus perite declarat, licèt ſenſu myſtico, ceſſaviſſe mundanam tentationem, ſicut & Chriſtus *imperavit vento, ſiluitque mare* r. Non etiam ſatis rectè Didacus *ſ* de Janguas contulit hunc locum cum loco Joſue *t*, in quo dicitur *ſtetiſſe Sol*. Nec ita placet expoſitio Hugonis, immobilis fuit, & inhorruit: niſi immobilitas vim denotet, atque perſeverantem impetum inhorreſcentis procellæ, ut Haimo indicat, & Remigius, & Beda; qui poſtremus tamen explicat per verbum *quieſcendi*. Poſſet quidem & ille ſenſus admitti, ut Richardo Cenomano placet, ad explicandam vim divini imperii, ut nunc *ſtet*, ideſt, quieſcat, nunc *ſtet*, ideſt denuò exiſtat *ſpiritus procellæ, & exaltentur fluctus*. Verùm præſtat perſiſtere in allata ſignificatione *ſtandi* quæ plurium, & doctiorum eſt. Apollinarii carmine res optimè declaratur.

> κεκλομένε βασιλῆος ἀήσσεται ὄρτο καταιξ
> *Jubente rege vehemens commota eſt procella.*

Explicationes minus rectæ. *r* Mat. 8. 29. *ſ* Conc. 1. de Circumciſ. *t* cap. 10. 12.

Quid ſit *procella* vide Pſ. 10. *u* Definit Nyſſenus *x* violenC tum ventum, non recta via irruentem, ſed ſibi ipſi involutum obliquo turbine, qui quando tanta violentia in quas irrumpit, mare quaſi maxima rupe injecta, ob gravitatem ſubagitatum, neceſſariò frangitur propter vehementiam ſpirantis venti, quocumque incumbat, & pondere ſuo inclinet impetus mole aquam undique ejectante. Eadem videtur Elias *y* Cretenſis tranſcripſiſſe. Ceterum *ſpiritum procellæ* pro perſecutione, ac tentatione plurimi; pro diabolo præcipuo illius auctore, Chryſoſt. & Nyſſenus *z* interpretantur. Ac Nyſſenus quidem de eodem accipit verbum, *dixit*, ἡ γὰρ τοῦ ἀντικειμένου, inquit, φωνὴ τὸ τῆς καταιγίδος πνεῦμα ἐργάζεται, *adverſarii enim vox ſpiritum procellæ efficit*. Euthymius, atque Nicephorus, & Auctor operis *a* imperfecti referunt ad procellam magnam venti, quæ fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis, in qua cum diſcipulis Chriſtus navigabat *b*. Uterque dicere, imperare, excitare tempeſtatem poteſt tam externam veræ procellæ, aut perſecutionis, quam internam tentationis, & Deus quidem ſeu permittendo id facere cenſeatur: ſeu faciat immediaD tè, ſemper intendit id quod bonum eſt, diabolus ſemper quod malum. Sicut contraria contrariis oppoſita, ſeu antitheta ſermonis pulchritudinem reddunt, (ita inquit Aug. *c* quadam non verborum, ſed rerum eloquentia contrariorum malorum, & bonorum oppoſitione ſæculi pulchritudo componitur.) Citat ex Eccleſiaſtici libro *d contra malum bonum eſt, & contra mortem vita: ſic contra pium peccator: & ſic intuere in omnia opera Altiſſimi, bina, & bina, unum contra unum*.

Procella quid ſit. *u* verſ. 7. *x* Pſ. c. 8. *y* in orat. 8. Nazian. n. 14. & in 19. num. 10. *z* tr. 1. in Pſ. cap 8. *a* hom. 43. *b* Marc. 4. *c* 11. de Civ. cap. 18. *d* c. 33. 15.

Et exaltati ſunt fluctus ejus.) Hieronymus, *& elevavit gurgites ejus*. Pronomen *ejus* refertur ad profundum aquarum multarum, ſive ad mare, ex quo ſpiritus procellæ exiſtentis extulit fluctus, & moles, ac montes aquarum. Subit animum recordatio Demetrii cujuſdam apud Senecam *e*, qui vitam ſecuram, & ſine ullis fortunæ incurſionibus, mare mortuum vocabat, & Seneca ſubdit. Nil habere ad quod exciteris, ad quod te concites, cujus denunciatione, & incurſu firmitatem animi tui tentes, ſed in otio inconcuſſo jacere, non eſt tranquillitas, malacia eſt.

Vita ſive fortunæ incurſionibus mare mortuum. *e* Epiſt. 67.

Aſcendunt uſque ad cœlos, & deſcendunt uſque ad abyſſos.) Vel de fluctibus ipſis, vel de navigantibus exponi poteſt;

poteſt; illis namque in altum elatis, poſtea impetu depreſſis, cum navi, quæ illis agitatur, navigantes attolli videntur, & dejici. De iſta hyperbolica deſcriptione aliàs egimus, eique ſimilem diximus illam Virgilii *a*,

a Æneid. 3.

Tollimur in cælum curvato gurgite, & iidem
Subducta ad manes imos deſcendimus unda.

b lib. Triſt. eleg. 2.

Eſt & apud Ovidium *b*.

Me miſerum quanti montes volvuntur aquarum!
Jam jam tacturos ſidera ſumma putes.
Quanta deducto ſubſidunt æquore valles!
Jam jam tacturas tartara nigra putes.

c Ovid. 11. Metam.

Ad hæc *c*.

Ipſa quoque his agitur vicibus Trachinia puppis
Et nunc ſublimis veluti de vertice montis
Deſpicere in valles, imumque Acheronta videtur,
Nunc ubi demiſſam curvum circumſtetit æquor
Suſpicere inferno ſummum de gurgite cælum.

d Æneid. 1.

Idem valet rurſus in eodem Virgilio *d*.

—— ſtridens aquilone procella
Velum adverſa ferit, fluctuſque ad ſydera collit,
Franguntur remi: tum prora avertit, & undis
Dat latus: inſequitur cumulo præruptus aquæ mons.
Hi ſummo in fluctu pendent, his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit.

e lib. 5.

Citat in commentario Virgilii Pontanus noſter quædam ex prioribus teſtimoniis, & unum ex Lucano *e*,

Quantum Leucadio placidus de vertice pontus
Deſpicitur, tantum nautæ videre trementes
Fluctibus è ſummis præceps mare, quumque tumentes
Rurſus hiant undæ, vix eminet æquore malus:
Nubila tanguntur velis, & terra carina.

f lib. 1. Epiſt. Epiſt. 99. — g Joan. ult. 25. — h Deut. 1. 28. — i Exod. 3. 17. — k Pſal. 50. 9. — Expoſitio myſtica Pſ. — l Mat. 26. 33. — m verſ. ult. — n Luc. 22. 32. — o Joa. 14. 6.

Iſidorus Peluſiota *f* Judæum ridentem Joannis verba, quibus capi libros negabat à mundo poſſe, qui ſcribendi eſſent de Chriſto, *g* refellit hoc teſtimonio, & ſimilibus, in quibus utitur Scriptura hyperbole, ut quum *urbes muro cinctas* vocat *uſque ad cælum* h; vel *terram lacte, ac melle manantem* i. Admonet hic quoque de hyperbole Euthymius, allato alio exemplo, quum quis dicitur *ſuper nivem dealbari* k. Quid hæc ſibi velint myſticè, ex his, quæ prius dicta ſunt, ſatis liquet. Arnobius ad Petrum accommodat, qui *uſque ad cælos aſcendiſſe* cēſeatur, quum, ipſa morte quidem oblata, Chriſtum ſe affirmabat non negaturum *l*; *deſcendiſſe uſque ad abyſſos*, quum negavit *m*; poſtea *turbatum, & motum ſicut ebrium, & omnem ſapientiam ejus ita deglutitam, ut niſi clamaſſet ad Dominum, quum tribulabatur, & ploraſſet amariſſimo, non de his neceſſitatibus evaſiſſet*, quum flevit, Chriſtum *ſtatuiſſe ei procellam in auram*, feciſſeque, ut *ſilerent fluctus ejus*, juxta illud, quod promiſerat, *n Rogavi pro te*, &c. *lætatum* Petrum, *quia ſiluerunt* dicti fluctus, *& deductus eſt in portum voluntatis ſuæ*, hoc eſt in Eccleſiæ præfecturam, ubi *exaltant eum populi, & laudant in cathedra ſeniorum*, quia Petrus *poſuit flumina in deſerta*, nempe perambulans in deſerto hujus ſæculi, quouſque perveniret ad Romam & prædicavit Baptiſmum, in quo univerſa flumina benedicuntur uſque hodie à Petro; (ideſt, à ſucceſſore, tamquam hierarcha) *poſuiſſe* eumdem Petrum *exitus aquarum in ſitim*, ita ut qui exierit foras ab Eccleſia Petri, (& ab illa, quam regit ſucceſſor ipſius, quæ eadem eſt, ſicut & ille auctoritatis ejuſdem), ſiti pereat: præterea *terram*, nimirum Romam, quæ erat *in ſalſugine*, ideſt, infructifera, propter litteram mundi, & malitiam, *poſuiſſe*, ſeu *reddidiſſe fructiferam*: item *poſuiſſe deſertum in ſtagna aquarum, & terram ſine aqua in exitus aquarum*, ut abundarent aquæ Baptiſmatis ad lavanda peccata, nec non Martyrum, pœnitentiæ, eleemoſynarum: feciſſe, ut aridus antea, ſiccus, incultus locus excoleretur, ac in eo conſtitueretur civitas Eccleſiæ, in qua quotidie *ſeminarentur agri, & plantarentur vineæ*, unde *proferrentur fructus*, Deo *ipſis benedicente; atque illos multiplicante* poſtea ſequutam perſecutionem; propter quam ex multis vocatis *pauci relicti ſunt*; & ad martyrii palmam attingere meruerunt: quando *effuſa eſt contentio* (correptè *contemtio*) *ſuper Principes* mundi, tunc *ſeduxiſſe eos in invio, & non in via*, hoc eſt, idolis, & non in Chriſto, qui via eſt *o*: ſed *adjuviſſe Dominum pauperem de mendacitate* virium: quoniam tentationes ferre populus credens ei omnino non poterat; & *poſuiſſe ſicut oves familias* in univerſam faciem terræ, ſtatuendo ei paſtores, & paſcuas, quod *videntes recti lætabantur*; non Arecti murmurabant: ſed jam tandem *omnem iniquitatem* adverſus Eccleſiam Dei, & adverſus oves, & paſtores *obſtruxiſſe os ſuum*: poſtremo, *qui ſapiens eſt, hæc intelligere*, & quum intellexerit, nihil aliud intelligere, *niſi miſericordiam Domini*. Cuncta ſunt Arnobii verbatim ferè, quæ complectuntur Pſalmi reliqui allegoriam ita cōncinnè, ac ſtricta nexam, ut diſtrahi recitando non debuerint. Sed quod attinet ad illa verba, *aſcendunt uſq; ad cælos, & deſcendunt uſq; ad abyſſos*, intelligendo de navigantibus, cum majore Interpretum parte, præter generalem myſtologiam de tribulationibus, tentationibus, perſecutionibus; (Valentia præſertim perſequitur myſticum ſenſum de tyrannis, ſub quibus aliqui fortes in martirio *uſq; ad cælos aſcendebant*, quidam negantes fidem *uſq; ad abyſſos deſcendebant*, donec ſub Sylveſtro Papa, & Conſtantino Imperatore pax læta reddita eſt Eccleſiæ, Chriſtuſque, atque Vicarius ejus laudatus, & exaltatus, conceſſa, donoque data Roma) & præter particularem de Petro, quam nunc retuli, Aug. & plures alii agitationem Prælatorum interpretantur; qui nunc

Senſus myſticus verborum.

B aſcendere videantur audendo, nunc timendo deſcendere; nunc præſumant de ſe, ac de ſubditis, perinde ac ſi ſint cœli; nunc deſperent, quaſi ſint in profundo vitiorum, nunc aſcendant per contemplationem, nunc per actionem deſcendant; quemadmodum Deus Moyſen *deſcendere juſſit, quia peccaverat populus ejus* p; Hugo explicat *aſcendunt uſque ad cælum* perſecutores quum blaſphemant Deum, & nomen Chriſti; *ponendo* ſcilicet *in cælum os ſuum*; q & efficiendo, ut *credulitas eorum uſque ad cælos perveniat* r, Denique contra ſe iram provocet; *deſcendentes uſque ad abyſſos*, quum veniunt ad deſperationem, & metum, vetum, vel etiam ad gehennam; & quemadmodum aſcenderat uſque ad cœlum ſuperbia eorum, & caput eorum nubes tetigerat, *quaſi ſterquilinium* in fine *perdantur* ſ; & qui *uſque ad cælum exaltaverant ſe, uſq; ad infernum demergantur* t, & qui ſe ad cœlum uſque aſcendere poſſe jactabant, *ad infernum detrahatur ſuperbia eorum* u. Item declarat fluctus perſecutionum *aſcendere uſque ad cælos*, ideſt, uſque ad majores, nempe Apoſt. *deſcendere uſque ad abyſſos*, nempe minores. Ad hæc ait, Sanctos

p Exo. 32. 7. — q Pſal. 78. 9. — r 2. Par. 28. 9. — ſ Job. 20. 7. — t Luc. 10. 15. — u Eſa. 14. 15.

C qui perſecutionem patiuntur, *aſcendere uſque ad cælos*: oculos cordis in illis ad Deum levando; *deſcendere uſque ad abyſſos*, tormenta horrendo. Quo pertinet magna inconſtantia numquam in eodem ſtatu permanentis hominis: ut nunc lætus, nunc ſit triſtis; nunc ſumma contemplans cœleſtibuſque ſe inſerens, nunc projectus ad infima, & ſe beſtiarum permiſcens moribus. (*Uſque ad cælos* quippe *aſcendimus*, inquit Gregorius *x*, quum ſumma penetramus; ſed *ad abyſſos uſque deſcendimus*, quum repente à contemplationis culmine per turpia tentamenta dejicimur.) Id patiuntur etiam Sancti nolentes, ut Paulus poſt raptum uſq; ad tertium cælum, *ſtimulum carnis ſuæ* y. At quidem ſunt peccatores dubii, ancipites, amphibii, zoophyti, nec *Deum ſequentes* nec *Baal, ſed claudicantes in utramque partem*, z *Deo ſervientes, & mammonæ* a, medii inter factiones duas, quod erant apud Athenienſes capitale: eodem *coangustato ſtrato, & pallio brevi duos excipientes, ac operientes* b prædata & in cœlo quærentes, & in aquis, ut quædam facit Aquila *c*. Nyſſenus *d* fluctuum in altum elationem ideſt, paſſionum, cauſſam

Inconſtantia hominis numquam in eodem ſtatu permanentis quam periculoſa.

x mor. c. 11. vel 15. — y 2. Cor. 12. 7. — z 3. Reg. 18. 21. — a Mat. 6. 24. — b Eſa. 28. 20. — c Plin. 11. 10 cap. 2. Berc. reducto. l. c. 2. num. 11. — d tract. 1. in Pſalm. cap. 8. — e Matt. 4. 9.

D fieri docet deſcenſus in abyſſum; ideſt, dæmonum habitaculum, *Chriſtum diabolus extulit in pinnaculum*, & inde *præcipitare* ſuaſit; *in montem excelſum*, & exegit, ut *cadens adoraret ipſum* e.

Anima eorum in malis tabeſcebat.] Hier. *in afflictione conſumitur*. Trevetus legit ex eodem, *in mala*. Alii imperativè, *in malo liqueſiat, ob malum diſſolvatur, præ anxietate colliqueſcat*. Quidam in futuro, *tabeſcet, conſumetur, liqueſiet, diſſolvetur, colliqueſcet*. Confunduntur facile tempora. In priore membro tempus præſens repræſentabat rem, ac ſi præſens eſſet, quæ jam præterierat; in iſto præteritum imperfectum noſtræ tranſlationis exprimit abſentem: qui præſens poſuerunt, ſequuti ſunt idem tempus quod in præcedente membro poſitum fuerat. Significatur exanimatio quædam navigantiū præ metu, & magnitudine periculi. Quod accipi poteſt de diſcipulis Chriſti periclitantibus in navi, ac timore perculſis *f*: præterea de omnibus aliis, quorum priore membro meminimus, tùm perſecutoribus, tùm perſecutionem patientibus, tùm Prælatis, tùm contemplativis, & activis. Ex duobus ultimis hominum generibus tabeſcunt in malis primi, contemplantes quāta ſit paſſus Chri-

f Matt. 8. 25. 26.

a Thren. 3. 19.

Chriſtus, juxta illud *a*, *Recordare paupertatis, & tranſ*-A*greſſionis meæ, abſinthii, & fellis: memoria memor ero, & tabeſcit in me anima mea*: ſecundi conſiderantes mala proximi, & culpæ, & pœnæ, *infirmati cum infirmantibus, uſti cum ſcandalizatis* b, & quos *tabeſcere facit zelus, quia obliviſcuntur verba Dei*, communes tùm Dei, tùm propterea ſui ipſius *inimici*. c *In dolore meſtum fit cor iſtorum, ideoq; contenebrantur oculi eorum* d. Quod etiam in fortem virum cadat naufragii trepidatio, docui alibi *e* ex Ariſtotele, *f* Stoico Philoſopho apud Gellium *g*; Ænea *h*; Agamemnone *i*. Viſum eſt Ovidio *k* inglorium mortis genus, ac omni carens ſolatio naufragium:

b 2. Cor. 11. — c Pſ. 118. 139. — d Thre. 5. 16. — In virum fortem cadit naufragii trepidatio. — Naufragium inglorium mortis genus. — e in Sapien. 14. 5. — f 3. Ethic. c. 6 & 7 & 3. ad Eud. c. 1. & 3. — g lib. 19. c. 1. — h apud Virg. Æneid. 1. — i Seneca in Agamemnone actu. 3. — k 1. Triſt. Eleg. 1.

Non lethum timeo; genus eſt miſerabile lethi:
Demite naufragium; mors mihi munus erit.
Eſt aliquid fatoque ſuo, ferroque cadentem
In ſolita moriens ponere corpus humo;
E mandare ſuis aliqua, & ſperare ſepulchrum;
Et non æquoreis piſcibus eſſe cibum.

Turbati ſunt, & moti ſunt, ſicut ebrius.) Hieron. *obſtupuerunt, & intremuerunt, quaſi ebrius*. Alii, *tremunt, & errans jactantur & nutant, exagitantur, & vacillant*, vel, *movent ſe, rapiuntur huc, illuc, & nutantur*, &c. Quod quidam per futurum tempus declarant, in quo ſunt Hebræa verba eo modo, quo in priore membro. Vehementia perturbationis in animo, & corpore, quem Apollin. uno vocat nomine χλόνον, egregiè deſcribitur. Eo procedit jactatio tanta, ut extorqueat etiam jactum pretioſiſſimarum rerum, ne vitæ fiat jactura. Qua in re ſani capitis, & ſobrii conſilium eſt, atq; ita non abſorbetur, (quod ſequentibus dicitur verbis) ſed eminet, ac prævalet ſapientia. Comparatio ab ebrio ſpectatur in vacillatione, tremoreq; horrentis corporis, & in mentis ancipiti deliberatione, quæ tandem cedit neceſſitati, nec arte, induſtriave evadendi reperit rationem. Eadem utuntur ex ebrietate Job *l* ſimilitudine, atq; Eſaias *m*, & Jerem. *n* Myſticè quævis immodica perturbatio dici ebrietas poteſt, vel etiam quodlibet peccatum, ut Origenes *o* demonſtrat, diſputans de calice aureo Babylonis, quo *inebriatur omnis terra* p: peccatores enim perpetuo moveri, inſtabiles habere egreſſus, debilitata mente, & fluctuante cogitatu, nihil firmè tenere, ſed ſemper in perturbationibus incertos agi: ſimiles eſſe *vago, ac profugo Caino* q *in terra Naid*, ut Græci legunt, ſeu *commotionis*. Tellurem ſub Caini pedibus contremiſcere ſolitam, ubicumque fixiſſet veſtigium, Hebræi aliqui tradiderunt, quos videtur ſequutus Clemens Alexandrinus *r*, interpretans *Naid*, ſeu ναιδ, ναδ, (quod alii malunt νὼδ) σάλος, *fluctum*. Id repræſentabat imago Bacchi in navi, qua Tyrrhenis nautis furorem immiſit, ac demum in delphinos convertit. Viſitur hodieque in Conſtantiæ templo, ad beatam Agnetem via Nomentanea, & meminit priſcæ imaginis Philoſtratus. Turbationem Hugo in omni hominis attendit parte rationali, iraſcibili, concupiſcibili, atque in omni vi, ſeu facultate, & occupatione. Grevæus *ſ* ebrietatem rationis aſſerit eſſe nimiam inquiſitionem, concupiſcibilis immoderatam delectationem, iraſcibilis nimium zelum, vindictæque appetitum. Oportet ex muneris proprii ratione Epiſcopum turbari, & agitari curis multis, & adeò interdum gravari, ut tædeat etiam vivere, *habentem in ſemetipſo reſponſum mortis* t, atque abſorberi innumerabilibus ſollicitudinibus. Bernardus *u* locum hunc totum hac de re uſurpans, dum ſcribit Henrico Senenſi Archiepiſcopo, colligit hoc argumentum. Si *tentatio eſt* cujuſcumque *vita hominis ſuper terram* x, quantis putatis periculis patet vita Pontificis, cui omnium neceſſe eſt ferre tentationes? Quibus moleſtiis angitur, quibus laceſſitur injuriis, cui etiamſi propria ceſſent, numquam tamen de alienis deſunt *foris pugna, intus timores* y?

Peccatoris cum ebrio collatio. — l cap. 12. 25. — Expoſitio myſtica. — m c. 19. 13. c. 24. 20. c. 28. 7 — n cap. 23. 9. — o homil. 2. in Jerem. — p Jerem. 51. 7 — q Gen. c. 4. 12. 14. 16. — Sub Caini pedibus terram contremiſcere ſolitam, Hebræorum quorumdam opinio. — r 1. Strom. c. 7. — Turbatio in omni hominis parte attenditur. — ſ ſerm. 229. — Ebrietas potentia, rum quid. — t 2. Cor. 1. 9. — u Epiſt. 42. — x Job 7. 1. — y 2. Cor. 7. 5.

Et omnis ſapientia eorum devorata eſt.) Corruptè aliqui legunt, *ſubſtantia*, ut meminit Ayguanus. Etſi verum eſt, naufragantium ſubſtantiam, ſive facultates projici, & abſorberi aquis, & recepta metaphora dicitur naufragus, & naufragium de fortunis, pudore, exiſtimatione. Elegans metaphora, ut ipſamet ſapientia, peritia, induſtria, ars, conſilium præcipitetur, abſcondatur, devoretur, abſorbeatur, deglutiatur, ſubmergatur, pereat, evaneſcat, & ſint ærumnoſi nautæ, quique vehuntur, ſimiles *dormienti in medio mari, & quaſi ſopito gubernatori, amiſſo clavo* z: tamquam ei, qui à Baccho intra navem in furorem agitur, ut ante dicebam: ita ut *præ vino neſciant, præ ebrietate errent, abſorbeantur à vino, errent in ebrietate, neſciant videntem, ignorent judicium* a.

z Prov. 23. 34. — a Eſa. 28. 7.

Rector b *in incerto eſt, nec quid faciatve, petatve*
Invenit, ambiguis ars ſtupet ipſa malis.

b Ovid. 1. Triſt. Eleg. 2.

Item,

Artis c *opem vicere metus, neſcitque magiſter*
Quam frangat, cui cedat aquæ diſcordia ponthi,

c Lucan. 5. Pharſal. — d in Agamemnone.

Præterea Seneca *d*,

Nil ratio, & uſus audet in magnis mali;
Tenet horror artus, omnis officio ſtupet
Navita relicto, remus effugit manus.

e 11. Metam.

Poſtremo Ovidius *e*.

Ipſe pavet, nec ſe quis ſit ſtatus ipſe fatetur
Scire ratis rector, nec quod jubeatve, velitve,
Tanta mali moles, tantoque potentior arte eſt;
Deficit ars, animique cadunt.

Apollinarius præſentem locum ſic explanat,

ναυτιλίης δ' ἐλάθοντο, σοφὴ δ' ἐφαίνετο τέχνη.
Navigationis autem obliti ſunt, docta verò non apparebat ars.

Omnemq; ſapientiam humanam devorat divina. Sicut ſerpentes magorum is, quem projecta Moyſes excitabat virga *f* & promiſſa terra primos *habitatores ſuos* g. Per ſapientiam Crucis, ait Auguſt. *h* omnem mundanorum ſa-B pientiam devoratam, & Bernard. *i* à ſpiritu Chriſti abſorptas omnes carnales affectiones, & delectationes, & conſolationes. Idem quod de ſapientia mundana, & philoſophica dici de illa poteſt, quam profitentes *naufragantes à fide* k hæretici, apoſtatæ. Hoc apud omnes ferè hæreſes, quaſi ſolemne eſſe, ac legitimum ſcribit Lyrinenſis *l*, ut ſemper profanis novitatibus gaudeant, antiquitatis ſcita faſtidiant, & per oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ *à fide naufragent* m. Hæreſiarchas Auguſt. *n* appellat montes naufragoſos, ubi ſaxa, & naufragia magna ſint. Digni ſunt quibus erigantur cenotaphia multo magis, quam quibus Pythagoræi ea extruebant, quod à ſua defeciſſent philoſophia, & reflexo curſu idioticam vitam amplexi eſſent ut Clemens *o* Alexandr. Origeneſque *p* meminerunt. Reſpuunt aliorum conſilia, quamvis etiam ſummi gubernatores in magnis tempeſtatibus, ut M. Cicero *q* ſcribit, à victoribus admoneri ſoleant. Optabile, ut cum *abſorpta morte in victoria* r, abſordeantur omnes impii, eoſq; occidat, mactet, manducet, trajiciat, & convertat Petrus pro imperio Chriſti. *ſ*

f Exod. 7. 12. — g num. 13. 33 — h ſer. 37. de temp. — i ſerm. 3. de aſcenſ. — k 1. Tim. 1. 19 — l de hæreſ. c. 34. — Hæreſeon ſolemne eſt gaudere novitatibus. — m 1. Tim. 1. 19. — n in pſ. 124. — Hæreſiarchæ, montes naufragi. — o 5. Strom. — p contra Celſum lib. 2. — q Philip. 7. in fine. — r 1. Cor. 15. 54. Oſea 13. 14. — ſ Actuum 13. 13.

Et clamaverunt ad Dominum quum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eorum eduxit eos.) Idem verſus ter C prius repetitus, differens hic in ſolo ultimo verbo יוֹצִיאֵם iotſiem, ἐξήγαγεν αὐτούς. Obſervat Hugo prima vice poſitum verbum *eripiendi*: ſequentibus duabus *liberandi*: nunc *educendi*: quoniam primo eripiendus eſt homo *de ore* t *leonis*, tandem vero *educendus de carcere* ad beatitudinem *u*. Nullo alio tempore majores audiri clamores, & vociferationes etiam votivæ, quam in naufragio ſolent.

t Pſal. 21. 22. — u Pſa. 141. 8. — In naufragio maximi audiri ſolent clamores.

—— x Tollit ingens
Clamor ad aſtra femineo
Mixtus planctu, mors ante oculos
Dira vagatur, quærit lethi
Sibi quiſque fugam.

x Senec. in Octa. — y Æneid. 1.

Et de ſuo illo Virgilius *y* Ænea canit:

Extemplo Æneæ ſolvuntur frigore membra,
Ingemit, & duplices tendens ad ſydera palmas
Talia voce refert.

z Senec. in Agamemn.

Rurſus Tragicus *z*:

In vota miſeros ultimus cogit timor,
Eademque ſuperos Troes, & Danai rogant:
Quid facta poſſunt?

a Ovid. 11. metam.

D Denique alius in egregia tempeſtatis deſcriptione *a*:

---- Hic votis numen adorat.
Brachiaque ad cælum, quod non videt, irrita tollens
Poſcit opem.

Excitandus clamore numquam non opportuno dormiens in periclitanti navi Chriſtus *b* adverſus tribulationes, tentationes, perſecutiones tùm alias, tùm hæreticorum, quod contra Gothos Chryſologus *c* faciebat, diſputans de Chriſto naufragantes liberante, & nos facere admonebat, ut accederemus ad eum magis fide, quam corpore, & pulſaremus eum plus opere miſericordiæ, quam deſperantium tacta, & ſuſcitaremus non inſolenti, ſtrepitu, ſed clamore ſpiritualium canticorum, non murmuratione improba, ſed ſupplicatione pervigili. Compellit redire nos tribulatio ad Deum, ac exemplo prodigi d, uſurpare etiam Oſeæ *e* ſententiam; *Vadens revertar ad locum meum*; donec, inquit Deus, deficiatis, & quæratis faciem

Tribulationis effectus. — b Marc. 4. — c ſerm. 20. 21. — d Luc. 15. 17. 18. — e cap. 5. 15.

faciem meam. Vulgare, ac veriſſimum proverbium (in mari poſitos optimè orare:) æquè verum, quod *exaudit Deus in abſcondito tempeſtatis* a. Jonas clamavit de tribulatione ſua ad Dominum, & exauditus eſt: *de ventre inferi clamavit, & ille exaudivit vocem ejus* b.

a Pſ. 80.8.
b Jonæ 2. 3.

Et ſtatuit procellam ejus in auram, & ſiluerunt fluctus ejus.) Hieron. *ſtatuit turbinem in tranquillitatem, & ſilebunt fluctus ejus.* Sed recitat Faber, *ſtatuet*, Trevetus utrumq; verbum in præterito, quamvis Hebræa ſint futuri temporis, Græca præteriti. Primum Hebręum verbum יקם *iakem*, ſignificat *ſtare faciet*: quo Græcè declaratur factum imperio Dei καὶ ἐπέταξε τῇ αἰγίδι *& imperavit procellæ* καὶ ἔστη εἰς αὔραν *ſtetit in auram*. Quod in vetere Pſalt. & ab Auguſt. ac Proſpero legitur, *& imperavit procellæ, & ſtetit in auram*. In verſu 25. *ſtetiſſe* dicebatur, *Deo dicente*, ſeu *imperante*, *ſpiritus procellæ* contrario ſenſu, nempe ut impetu ferretur, & irrueret. Aquila ἀναστήσει αἴλαπα εἰς αὔραν, *reſtituet turbinem in auram*, vel *ſuſcitabit*, *attollet*; turbo enim, & procella humilior eſt, diſſipata vero abit in auram. Symmachus στήσαντος αὐτοῦ τὴν καταιγίδα εἰς γαλήνην *ſtatuente eo tempeſtatem in tranquillitatem*. Theodotio καὶ ἔστησεν τὴν καταιγίδα αὐτῶν εἰς αὔραν, *& ſtatuit*: vel ut Hieron. c legit (*conſtituit*) B *procellam eorum in auram*. Quæ translatio non differt à noſtra pronomine plurali: quo pronomine caret Romanum Pſalterium tam plurali, quam ſingulari, ſicut & Hebræus textus. Denotatur vero vel mare, vel fluctus ipſius. Monet autem idem Hieron. d videri quid ſuperfluum in tranſlatione Græca, quam recitavimus. Senſum eſſe in Scholio traditur καὶ παραχρῆμα ἡ καταιγὶς τῇ αὔρᾳ ὑποχωρεῖ, *& ſtatim tempeſtas auræ cedit*. Loco *auræ* Hebræa vox דממה *demamah*, ſignificat *ſilentium*, ac proinde tranquillitatem. Convenit locus hic miraculo Chriſti, quo quum *imperavit ventis*, & mari comminans vento, & dicens mari, tace, obmuteſce, increpans ventum, & tempeſtatem aquæ, ceſſavit, *& facta eſt tranquillitas magna* e: atq; ita Euth. & alii, ut diù ante memini, eo referunt, quæ hìc dicuntur. Deſcribitur placatum, ac tranquillatum Poetæ mare.

c epiſt. 135.
d ſupra.
e Matth. 8. 26. Marc. 4. 39. Luc. 8. 24.
f Virg. 1. Æneid.
g 5. Æneid.
h Ovid. 1. metamor.
i Pſ. 88. 10.
Senſus myſticus.

> f *Et dicto citius tumida æquora placat,*
> g *Æquatæ ſpirant auræ.*
> h *Nec maris ira manet, poſitoque tricuſpide telo.*
> *Mulcet aquas rector pelagi.*

Eadem de re actum ad alterius pſalmi i verba, *tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas* Nec difficile eſt ex dictis myſticum elicere ſenſum, de ſedatis perturbationibus, tentationibus, perſecutionibus, quod etiam Procopius k docet, atque Scholiaſtes Nazianzeni Elias l agens cum illo de tyrannide Juliani, deque hæreſis fluctibus ejuſdem tempeſtate tumentibus, ac æſtuantibus, quam Deus compeſcuit: & iterum m de ſedato ſchiſmate monachorum, atq; ut Nyſſenus n loquitur, de conceſſa Spiritus gratia, quæ rectis cogitationibus quaſi malo, animam divino portui appellit, gubernacula ratione tenente, & ad navigationem dirigente. *Non delectaris Deus*, inquit *Sara Tobiæ deſignata uxor* o, *in perditionibus noſtris*, quę hìc antea vocabuntur (*interitiones*) *quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrymationem, & fletum, exultationem infundis. In ſermone ejus*, ait Auctor Eccleſiaſtici p, *ſiluit ventus, & cogitatione ſua placavit abyſſum, & plantavit in illa Dominus inſulas*: pro quibus ultimis verbis habent aliqui codices, *& plantavit illum Dominus Jeſus*, legendo ἰησοῦς pro νήσους nomen *Jeſu*, pro non *inſularum*. Emendati codices Greci legunt, καὶ ἐφύτευσεν αὐτὴν ἰησοῦς. Complutenſes, D Regii, & alii, ἐν αὐτῇ ἰησοῦς. Retento nomine *Jeſu*, Lyranus q, & Rickelius r, exponunt de tota Trinitate, ſicut in Abacuc ſ, *Exultabo in Deo Jeſu meo*, quia Deus eſt Salvator. Rabinus t de Domino noſtro *Jeſu*, per quem, ut Dei Filius eſt, *facta ſunt omnia* u, nam & ſic Judas x ſcripſit, quod *Jeſus populum de Ægypto ſalvavit; & eos, qui non crediderunt, perdidit, & Angelos, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit*. Quidquid ſit de varietate lectionis, quum conſtet acquieſcendum potius Latinæ correctæ quam Græcæ, auræ placida, mitis, tranquillæ ſpirationis, ſpiritusve auræ lenis, ac tenuis, & ſilentium procellæ, tempeſtatis, turbinis, denotant ſedationem, pacationem, tranquillationem illam ipſam, quam concupiſcebat, dicens y, *Surge aquilo, ideſt, fuge, & veni auſter, & perfla hortum meum, blandiore, & benigniore ſuggeſtionis Sancti Spiritus auræ*: A *ſubtrahatur ſuſurro, & perſecutor, & jurgia conquieſcant* z. Martyribus tormentorum procellæ, fluctuſq; & Confeſſoribus, ac piis omnibus, aliarum tribulationum, tentationum, perſecutionum afflante favonio favoris divini, ſilent, videnturq; ipsæ flammæ *vento roris flantis* ſimiles, ita, ut *non tangant, non contriſtent, nec quidquam moleſtiæ inferant*, propter Dei, & Angeli ejus faventis pręſentiam a. Silet ſine murmure, ſine querimonia, & corde tacito mens bene conſcia conſervat patientiam; ut quamlibet ſæviat vexatio, frematq; cenſeatur ſuavis aura: quia *facit Deus cum tentatione proventum, ut poſſit ſuſtineri* b:

k in Eſa. c. 51.
l in orat. 3. num. 14.
m in orat. 19 num. 10.
n tract. 1. in pſ. c. 8.
o Tob. 3. 22.
p cap. 43. 25.
q ibid.
r ibid.
ſ cap. 3. ult.
t in Eccleſiaſticum.
u Joan. 1. 3.
x ep. verſ. 5.
y Cant. 4. 16.
z Prov. 25. 20.
a Dan. 3. 49.
b 1. Cor. 10. 13.

Et lætati ſunt, quia ſiluerunt.) Hieron. *& lætabuntur quia quieverunt*. Vel homines, vel fluctus iis agitari. Aliud eſt hìc verbum Hebræum, & Græcum, quam in priore membro: ibi eſt ישתקו *iechescéu*, & ἐσίγησαν hoc loco ישתקו *iſtKoKu*, & ἡσύχασαν. Prima propriè ſignificant *ſilere*, ac *tacere*: ſecunda *conquieſcere*, & *ceſſare*: atq; in eodem ſenſu de ſedatione tempeſtatis marinę uſurpatur in Jona c Hebræum, pro quo eſt Græcum κοπάζω. Æſtimanda lætitiæ magnitudo ex gravitate periculi evaſi, ut alio pſalmo vidimus. Quum poſt *miſſum Jonam in mare, ſtetiſſet mare à fervore ſuo, timuerunt viri Ethnici, qui miſerant illum, timore magno Dominum, & immolaverunt beſtias Domino, & voverunt vota* d. Religioſæ lætitiæ ac lætæ Religionis argumentum id erat, quam ſuo modo profani alii ex naufragio exemti declaraverunt, atque ex tabellis pictis animadvertebatur, quam multi votis vim tempeſtatis effugiſſent, ut M. Tullius e teſtatur; Teſtis quoq; Poetarum primus f,

c c. 1. 11. 12.
d Jonæ 1. 15. 16.
e 3. de natur. deor.
f Virg. 12. Æneid.
g Horat. l. 1. Ode 5.

> *Servati ex undis, ubi figere dona ſolebant*
> *Laurenti divo, & vota ſuſpendere veſtes.*

Et alius princeps lyrici carminis g,

> —— *Me tabula ſacer*
> *Votiva paries indicat uvida*
> *Suſpendiſſe potenti*
> *Veſtimenta maris deo.*

Deniq; ſatis conſtat, quod feliciter ad portum pervenientium

> *Litiora* h *cum plauſu clamor, ſuperaſq; deorum*
> *Implevere domos gaudent.*

h Ovid. 4. Metamor.
Silentium.

Tropologicè affert ſilentium ſecum lætitiam, immò & fortitudinem i ſive intelligas patientiam, ne quis obmurmuret in adverſis ſive fidem, ne obloquamur, & contradi- C camus, ſed *levemus nos ſuper nos tacentes* k, ideſt, ſuper lumen naturale: ſive mortificationem, qua obſtruitur os murmuranti, & ſollicitanti carni: ſive ſilentium externum, quod à Religioſis colitur, *eſtq; cultus juſtitiæ* l. De ultimo ſilentio Auctor ſermonum ad fratres in eremo m, Thomas de Kempis n, & nos hoc ipſo opere non ſemel.

i Eſa. 30. 15.
k Thren. 3. 28.
l Eſa. 32. 17.
m ſerm. 3.
n ſerm. 7. de bono ſilent.

Et deduxit eos in portum voluntatis eorum.] Hieron. *& deducet eos ad portum quem voluerunt*. Alii, *ad terminum voluntatis eorum*, ſeu *ad regionem*, aut *provinciam*, vel *ad portum optatum ipſis*, ſive *in quem erat animus eorum*, vel *ad regionem, quam navibus petebant*. Omnia hæc valent מחוז *machoz*, quod iſto tantum loco reperitur. Habent aliqui codices Gręci pronomen ſingulare αὐτοῦ, ut Complutenſes, ac Regii, & ſic legunt Baſilius, vel Theod. Chryſoſt. Euthym. Niceph. declarantes de divina voluntate, ut eo deduxerit Deus, quo voluit, quemadmodum & Apollinarius,

> εἰς λιμένα σπεύδοντας ὑπ' ἐννεσίῃσι θεοῖο.
> *Ad portum feſtinantes monitis Dei.*

Idem inſinuat Nyſſenus, vocans θεῖον λιμένα *divinum portum*. In textu Hebręo eſt plurale pronomen affixum noD ni חפצם *chephtſam* & non חפצי *chephtſi*, ut monet Hieronymus o. Quamquam duo quo intendimus, deducimur, à Deo, portus dici poteſt non ſolum noſter, ſed etiam Deï. Ita dicitur *portus voluntatis*, ſicut *vir voluntatis* p, hoc eſt volitus, optatus, appetitus, conformis voluntati. Myſticè autem Deus ipſe, cognitio, ac fides obſervatio legis ejuſdem, idemmet ut fini actionum noſtrarum, atque beatitudo noſtra, noſter portus, ad quem portum alludit Apoſtolus q, nominando *anchoram animæ firmam, & tutam ſpem, quæ in Deo eſt*. Hunc appellare quoque poſſis *bonæ ſpei portum*; *& Boniportum* r, & Deum ipſum portum. Sic quidem Auctor libri quarti Eſdræ ſ, licèt apocryphi inducit populum ſic loquentem, *Tu enim nobis ſuperes ſolus ex omnibus populis, ſicut botrus de vinea, & ſicut lucerna in loco obſcuro, & ſicut portus, & navis ſalvata à tempeſtate*. Cupit qui navigagat pervenire, & excipi,

o ep. 135.
p Eſa 46. 11.
Myſtica acceptio.
q Hebr. 6.
r Act. 27. 8.
ſ cap. 12. 42.

—— *Opta-*

> —— *Optata a gremio telluris.*

Et,

> *Præcipiti* b *convulſa noto proſpectat amicam*
> *Puppis humum.*
> —— *Ac* c *magno telluris amore*
> *Egreſſi optata potiuntur Troes* (nantes) *arena.*
> *Et tandem læti notæ advertuntur arenæ.*
> *Adſumus, & portus delati intramus amicos.*

a Virgil. 3. Æneid.
b Stat. 2. Thebaid.
c Æneid. 1.
d in diction.

Non erit nobis perfecta lætitia, donec appulerimus ad portum ſalutis, ſolùm nomine dignum *Boniportus*, ſolum fructuoſum. Alios diſtinguit Berchorius d luctuoſum mortis; ſpatioſum gratiæ, & perfectorum; lubricoſum mundi, & opulentiorum; anxioſum peccati, iniquorum; periculoſum inferni, & damnatorum. Arnobius Eccleſiam portum interpretatur. Infelix, qui navem in tali portu impingit, naufragium in eo facit, in extremo deficit, ac degenerat, in fine corrumpit. Miſer, qui ſe miſerorum ſolatur in eadem navi, ſocietate, communique naufragio. Idemmet qui portus, ad portum, hoc eſt, ad ſeipſum deducit, ac perducit Deus, ita ut nihil vereatur cum illo navigans, tantoq; gubernatore, quoniam;

> σὺν τῷ θεῷ πλέων, κἂν ῥιπὸς πλέοι.

vel

> θεοῦ θέλοντος, κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις.
> *Cum Deo navigans, etiam in vimine naviget.*
> *Deo volente, etiam in vimine naviget.*

Quod aliter ſi efferunt carmine,

> *Quiſquis ſecundo navigarit numine,*
> *Is vel ſaligno navigarit vimine,*

Item:

> *Deo favente naviges, vel vimine,*

Solus ille de alto aſpicit, inſpicit, proſpicit omnia pericula, & ad deſtinatum portum, finemque certo, ac ſine errore, vel impedimento perducere poteſt. In Romano Pſalterio, apudq; Caſſiodorum additur, *& de neceſſitatibus eorum liberavit eos*.

Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.) Hic demum quarto intercalariter verſus repetitus, ob eas, quas dixi principio cauſſas; ac neſcio, an lætiore nunc, quam umquam prolatur voce, animoque alacriore, poſt obitum naufragii periculum. Ubiq; omnino, ait cum Auguſtino Proſper, ubiq; confiteantur Domino non merita noſtra, non ſapientia noſtra, ſed miſerationes ejus. Ille ametur in omni noſtra liberatione, qui eſt invocatus in omni noſtra tribulatione.

Et exaltent eum in Eccleſia plebis.) Chaldaicè, *in congregatione populi domus Iſrael*. Sed Eccleſiam univerſam ex omnibus congregatam noſtri, myſtico ſaltem ſenſu, accipiunt; & tantum non præſentis Eccleſiæ ſtatum deſcribi Nyſſenus e ſcribit: Baſilius autem, ſive Theodor. cantum populi in Eccleſia hìc innui notant. Ceterum vel miſericordiæ, ac mirabilia Dei ad exaltandum in Eccleſia Deum, & in cathedra ſeniorum laudandum invitantur; vel homines imi, ſummi, plebei, principes, ſubditi, præpoſiti, ut id in Eccleſia magna faciant, palàmq; coram omni populo, atq; in conſeſſu Principum, & Sapientum. Hoc, & ſequens membrum adaptavit Petro Eccleſiam in officio de Cathedra ipſius, ac de eodem Apoſtolo Arnob. ut dudum ante retuli, expoſuit; præterea Auguſt. f proprio ſermone de cathedra illius, Petrum, ait, fundamentum Eccleſiæ Dominus nominavit, & ideò digne fundamentum hoc Eccleſia colit, ſupra quod Eccleſiaſtici officii altitudo conſurgit. Unde convenienter pſalmus qui lectus eſt, dicit *Exaltent eum in Eccleſia plebis, & in cathedra ſeniorum laudent eum*. Benedictus Deus, qui B. Petrum Apoſtolum in Eccleſia exaltari præcepit, quia dignum eſt, ut fundamentum hoc in Eccleſia honoretur, per quod ad cęlum conſcendit. Quemadmodum Chriſto *data ſedes David* g, & *regnare in æternum* h; & *habere clavem domus David* i, ſic dedit Petro Chriſtus Cathedram, & ut *adverſus Eccleſiam ſuper illum fundatam non prævalerent portæ inferi* K, & ut *claves gerat cum poteſtate omnia ligandi, & ſolvendi* l. Notat Hugo non invitari, ut exaltetur Deus *in Eccleſiam Principum*, ſed *plebis*, quia in talibus non frequenter exaltatur, verum ipſi ſemetipſos exaltant, & propterea corruunt in infernum. Comprehendit *Eccleſia plebis* omnes, ſicut & quando dicitur *laudari Deus in medio Eccleſiæ* m, & *laus ejus eſſe, aut confeſſio in Eccleſia magna* n, *in Eccleſiis benedicit* o, &c.

e tract. 1. in Pſ. c. 8.
f ſerm. 15. de Sanct. Petrus Eccleſiæ fundamentum dictus.
g Luc. 1. 32.
h verſ. 33.
i Eſa. 22. 22.
k Matth. 16 18.
l verſ. 19.
m Pſ. 21. 23.
n verſ. 26. Pſ. 34. 18.
o Pſ. 25. 12. Pſ. 67. 27.
Doctrina & multa peritia ſenum eſt.
Ea quę maxime odit anima ſapientis.

Et in chathedra ſeniorum laudent eum.) Chaldaicè, *in cathedra ſapientum* דחכימיא *dechacchimaiia*. Nam ſenum doctrina eſt, multaque peritia p, ita ut inter tres ſpecies quas odivit anima ſapientis, & aggravatur valde animæ illorum potiſſima ſit *ſenis fatui, & inſenſati*, poſtea *divitis mendacis*, deinde *pauperis ſuperbi* q: præterea interminans irati Dei numeratur *ſenem auferre* r, ideſt, prudentem: denique *corona dignitatis ſenectus eſt quæ in viis juſtitiæ reperietur* ſ, & *venerabilis eſt propter canos ſenſus, vitamque immaculatam* t; ut idcirco Daniel penè puer juſſus ſit *in medio ſedere ſeniorum, quia illi Deus dederat honorem ſenectutis* u. Nyſſenus x exponit πρεσβυτέρους principes. Euthym. & Niceph. ἐν συνεδρίῳ ὑπερέχοντας, *in conſilio ſupereminentes*. *Senioris* demum nomen priora ſæcula pro *domino* uſurpaverunt, hodieque vulgaribus linguis idem factitatur, ut aliàs admonui. Scilicet dominari, ac præeſſe, ſeu ſedere in cathedra magiſtrali, & magiſtratus tùm politici, tùm præſertim Eccleſiaſtici, pueros non decet, ut annotat Hugo, *incathedrandi* utens verbo; addens idem valere Græcè *presbyterum*, nomen nunc dignitatis, & ordinis, quod *ſeniorem*; & ab irato Deo *dari pueros Principes* y. De Petri Cathedra prius monui, curque illam tùm Antiochiæ ad tempus, tùm Romæ B in perpetuum locatam, quoad mundus durabit celebrandam cenſuerit Eccleſia. Nec immeritò ligneam ipſam Petri Romanam Cathedram honore perſequitur; ob monimentum tùm dignitatis tantæ, tùm ſanctitatis, eum & Jacobi primi Jeroſolymorum Epiſcopi cathedram in honorem habitam teſtetur Euſebius z, & idem de Alexandrina Marci conſtet, in quo Petrus ejuſdem Urbis Epiſcopus, poſtea martyr, horruit ſedere, abſterritus eximio ſplendore, quo circumlucentem cernebat a. Petrus Damiani b ſcribens Cadaloo pſeudo-papæ, rationem reddit cur ſolius Petri feſtivè cathedram celebremus. In eadem ſedens Cathedra Adrianus IV. ut ab ipſomet accepiſſe ſe ſcribit Joannes Saliſberienſis c, appellabat ſpinoſam, & in tantum acutiſſimis uſquequaq; conſertam aculeis, tantæque molis, ut robuſtiſſimos premat, terat, & comminuat humeros: coronam, & phrygium clara merito videri, quoniam ignea ſunt. De vario genere cathedræ bono, & malo, ac etiam peſtilente, actum aliàs. Plura de eadem, & de ſede Berchorius non contemnendus auctor in dictionario, ſive repertorio morali. Diſtinguit ſedere virtuoſum, C glorioſum, vitioſum, luctuoſum. Ait, bonos ſedere in tranquillitate conſcientiæ, in ſublimitate paſtoralis eminentię, in ſede ſupernaturalis affluentię, ut perfectos, prefectos, refectos, interiùs, exteriùs, ſuperiùs ad quieſcendum, præſidendum, comedendum: ſedere in tranquillitate conſcientię, velut in terra, ut lugeant; ut umbra, ut minus ferveant; in petra, ut tutius maneant; in cinere, ut doleant; ſub arbore, ut fructum habeant; in pulvere, ut viles appareant, in litore, ut mergi caveant; in mari, ut fluctus timeant; in navi, ut mare tranſeant; in domo, ut ſtudeant; in ſepulchro, ut morem videant; in monte, ut doceant; in igne, ut intus ardeant; in cęlo, ut ſemper gaudeant. Deinde ſedem præeminentiæ, quę eſt Præſulum, Principum, Judicum, vult eſſe juſtitiæ, modeſtiæ, potentiæ, prudentiæ, clementiæ, concordię, innocentiæ, pręſidentię. Ad hæc docet ſedem beatorum, æternæq; gloriæ eſſe honoris, dulcoris, ſplendoris, vigoris. Poſtremo malam ſedem numerat carnalitatis, cupiditatis, proſperitatis, fallacitatis, crudelitatis, tepi- D ditatis, flebilitatis. Adjicit ſedem Dei in corde noſtro, ut in lecto, per infuſionem gratiæ; in Virgine, ut in thalamo, per carnis aſſumtionem; in cruce, ut in ludo vel equo, per mortis tolerationem; in cœlo, ut in convivio per gloriam; in valle Joſaphat, ut in palatio ad judicandum. Scripturæ teſtimoniis omnia confirmat.

p Job. 12. 20. 15. 10. cap. 22 9. Eccl. 8. 11. c. 24. c. 25. 8.
q Eccl. 25. 4.
r Eſa. 3. 2.
ſ Prov. 16. 31.
t Sap. 4. 8. 9.
u Dan. 13. 50.
x tract. 1. in pſ. c. 8.
y Eſa. 3. 3.
Ligneam ipſam Petri Cathedram merito honore proſequitur Eccleſia.
z l. 7. hiſtor. cap. 14.
a in actis Petri Alexandr. quæ Anaſt. bibliothec. recit. Latinè.
b lib. 1. epiſt. 20.
c in Polycr. lib. 2. c. 23.
Sedium diſtinctio diverſa.

Verſ. 33.) Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim.

Verſ. 34.) Terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea.

Deinceps poſt celebratas Domini miſericordias in quatuor depellendis miſeriis, commendat ejuſdem potentiam Propheta, & providentiam in rerum naturis aliquando permutandis. Cujus rei exemplo primum eſt, quod flumina ſiccavit, reddens ſolum, per quod defluebant, deſertum, aridum, ſiticuloſum: & antea fructiferam terra efficit ſterilem, illiq; ſimilem,

Senſus loci.

quæ